




CALENDARIUM ROMANUM

CALENDARIUM ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II INSTAURATUM AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

EDITIO TYPICA





TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIX

Prior pars huius voluminis (pp. 5-49) documenta officialia exhibet ad novum Calendarium generale necnon ad normas universales de Anno liturgico spectantia; altera vero pars (pp. 53-177), cura « Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » apparata, Commentarium continet *non officialem* ad documenta quae praecedunt



SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. N. R 21/969

DECRETUM

Anni liturgici ordinatione atque generali Calendario Romano a Summo Pontifice PAULO PP. VI approbatis, per Litteras Apostolicas *Mysterii paschalis celebrationem* die 14 februarii 1969 motu proprio datas, Sacra haec Congregatio, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis ea promulgat, statuens ut a die 1 ianuarii proximi anni 1970 vigere incipiant.

Dum vero novum Breviarium novumque Missale, ad normam Constitutionis de sacra Liturgia instaurata exspectantur, novum Calendarium generale libris liturgicis in praesens vigentibus aptandum est prout sequitur:

a) Dies liturgici qui « Sollemnitates » inscribuntur tamquam festa I classis celebrentur; qui autem « Festa » nominantur, tamquam festa II classis; qui « Memoriae » appellantur, tamquam festa III classis. Si vero hae Memoriae in feriis Adventus a die 17 ad diem 24 decembris, diebus infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimae occurrunt, eorum celebratio fiat ad libitum et tantummodo ad modum commemorationis in fine Laudum cum antiphona, versu et oratione. In ordinanda celebratione feriarum, normae serventur hactenus vigentes.

b) Festa Baptismatis Domini, et D. N. I. C. universorum Regis diebus noviter ipsis assignatis celebrentur; festum vero S. Familiae dominica infra octavam Nativitatis, iam hoc anno, recolatur.

c) Festa quae e Calendario generali sunt expuncta, in universo ritu romano amplius non celebrentur; retineantur tamen si ad Calendaria pertinent particularia.

d) Sancti, qui in novo Calendario memoria ad libitum recensentur, hac eadem ratione recolantur. Eorum autem celebratio fiat ad modum festorum III classis; si vero in feriis Adventus a die 17 ad diem 24 decembris, diebus infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimae occurrunt, fiat ad modum commemorationis in fine Laudum, cum antiphona, versu et oratione.

e) Sancti, qui in Calendario generali instaurato alii diei ac nunc assignantur, eo celebrari pergant die quo, apud hodiernos libros liturgicos, recensentur.

f) Sancti, qui noviter in Calendario instaurato inscripti sunt, memoria ad libitum recolantur, adhibitis textibus e Communi vel Missa inter eas exstante, quae in Missali pro aliquibus locis assignantur.

Quapropter, Calendario generali instaurato additur schema eiusdem Calendarii generalis, ad interim, idest usque ad promulgationem novorum librorum liturgicorum, adhibendum.

Instaurato denique Calendario generali, consentaneum visum est etiam Litanias Sanctorum recognoscere. Duplex proinde evulgatur schema Litaniarum, longius alterum, in publicis supplicationibus et in processionibus adhibendum, alterum brevius, in ritibus usurpandum, qui in Missae celebrationem inseruntur.

Haec autem Litaniarum schemata, quae libere statim adhiberi possunt, a die 1 ianuarii 1970 obligatoria erunt.


Omnes autem ad quos pertinet, Calendaria atque Officiorum et Missarum Propria, sive dioecesana sive religiosa, novo Calendario generali conformare studeant, prae oculis habitis normis ad ordinationem anni liturgici spectantibus. Huiusmodi vero Calendaria et Propria, ab Apostolica Sede probanda, tunc valere incipient, quando Missale et Breviarium instaurata vigorem habebunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus S. Congregationis Rituum, die 21 martii 1969.

BENNO Card. GUT
S. C. R. Praefectus
et « Consilii » Praeses

† Ferdinandus Antonelli
Archiep. tit. Idicrensis
S. C. R. a Secretis



LITTERAE APOSTOLICAE

MOTU PROPRIO DATAE QUIBUS NORMAE UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET NOVUM CALENDARIUM ROMANUM GENERALE APPROBANTUR

PAULUS PP. VI

Mysterii Paschalis celebrationem potissimum habere in religioso christianorum cultu momentum, eandemque per dierum, hebdomadarum totiusque anni explicari cursum, dilucide sacrosancto Concilio Vaticano II docemur. Ex quo sequitur, opus esse, ut idem paschale Christi mysterium in instauratione anni liturgici, cuius normae ab ipsa Sancta Synodo traditae sunt,[1] in clariore luce ponatur, sive ad ordinationem Proprii, quod vocant, de Tempore ac de Sanctis, sive ad Calendarii Romani recognitionem quod attinet.

I

Re enim vera, progredientibus saeculis, factum est, ut tum ex auctis pervigiliis, religiosis festis, eorumque per octo dies celebrationibus, tum ex variis anni liturgici sensim intersertis partibus, ita non numquam peculiaribus pietatis exercitationibus christifideles uteretur, ut eorum mentes a praecipuis divinae Redemptionis mysteriis quadamtenus sevocari viderentur.

Sed neminem latet, a Decessoribus Nostris S. Pio X et ven. rec. Ioanne XXIII nonnulla data esse praecepta eo spectantia, ut pariter

[1] Cf. Conc. Vat. II, Constitutio de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 102-111: A.A.S. 56 (1964) pp. 125-128.

dies dominica, in suam pristinam dignitatem restituta, vere proprieque *primordialis dies festus* [2] ab omnibus haberetur, pariter liturgica sacrae Quadragesimae celebratio instauraretur. Neque minus tenetur, Decessorem Nostrum ven. rec. Pium XII decreto facto [3] mandavisse, ut apud Ecclesiam Occidentalem, inter Noctem Paschalem, sollemnis pervigilia redintegraretur; in qua, dum Sacramenta christianae initiationis celebrarentur, populus Dei cum Christo Domino resurgente suum renovaret spirituale foedus.

Hi videlicet Summi Pontifices, Sanctorum Patrum institutionem firmiterque catholicae Ecclesiae traditam doctrinam secuti, rectissime sentiebant, annali Liturgiae cursu non modo facta commemorari, quibus Christus Iesus salutem nobis moriendo attulit, aut praeteritarum rerum gestarum memoriam repeti, quam meditantes christifidelium animi, vel simpliciores, erudirentur et nutrirentur, verum etiam iidem edocebant anni liturgici celebrationem *peculiari sacramentali vi et efficacia pollere ad christianam vitam alendam.*[4] Quod quidem Nosmetipsi et sentimus et profitemur.

Recte igitur ac merito cum *sacramentum Nativitatis Christi* [5] eiusque in mundo agimus manifestationem, illud deprecamur, *ut per eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur;*[6] et cum eiusdem Christi Pascha renovamus, a summo Deo poscimus, ut, qui cum Christo sint renati, *sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt.*[7] Nam, ut Concilii Oecumenici Vaticani II verbis utamur, Ecclesia *mysteria Redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo praesentia reddantur, fidelibus aperit, qui ea attingant et gratia salutis repleantur.*[8]

Quam ob rem anni liturgici recognitio, normaeque eius instaurationem consequentes, ad nihil aliud pertinent, nisi ut fideles per fidem, spem, caritatem ardentius cum *toto Christi mysterio per anni circulum explicato* [9] communicent.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Constitutio de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* n. 106: A.A.S. 56 (1964) p. 126.

[3] Cf. S. Congr. Rituum, Decretum *Dominicae Resurrectionis,* 9 febr. 1961: A.A.S. 43 (1951) pp. 128-129.

[4] S. Congr. Rituum, Decretum generale *Maxima Redemptionis nostrae mysteria,* 16 nov. 1965: A.A.S. 47 (1955) p. 839.

[5] S. Leo Magnus, *Sermo XXVII in Nativitate Domini* 7, 1: PL 54, 216.

[6] Cf. Missale Romanum, *Oratio de festo Baptismatis Domini.*

[7] Cf. Ibid., *Oratio feriae III infra octavam Paschae.*

[8] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium* n. 102: A.A.S. 56 (1964) p. 125.

[9] Cf. Ibid.

II

A quo argumento illud haudquaquam dissidere existimamus, etiam festa Beatae Mariae Virginis, *quae indissolubili nexu cum Filii sui opere coniungitur,*[10] et memorias Sanctorum, quibus iure merito *dominorum nostrorum Confessorum et Victorum*[11] natalicia accensentur, nitida luminis claritate fulgere; cum *festa Sanctorum mirabilia Christi in servis eius praedicent, et fidelibus opportuna praebeant exempla imitanda.*[12] Etenim hoc firmum certumque semper Ecclesiae catholicae fuit, Sanctorum festis paschale Christi mysterium nuntiari ac renovari.[13]

Quapropter, cum infitias ire non liceat, labentibus saeculis, plura quam par esset Sanctorum festa inducta esse, convenienter Sancta Synodus monuit: *Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant, plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant, momentum universale revera prae se ferentes.*[14]

Iamvero haec Concilii Oecumenici decreta ad effectum adducendi causa, hinc nonnullorum Sanctorum nomina a Calendario generali sublata sunt, hinc facultas est concessa, ut aliorum Sanctorum memoriae, cum libet, agantur, eorumque cultus, in suis cuiusque regionibus tributus, congruenter restituatur. Ex quo natum est, ut quorundam Sanctorum non ubicumque terrarum notorum, a Calendario Romano expunctis nominibus, ibidem nomina recepta sint quorundam Martyrum, in iis ortorum regionibus, ad quas Evangelii nuntium serius manavit; ita ut in eodem indice omnium gentium quidam quasi vicarii, vel profuso pro Christo sanguine, vel praestantissimis adhibitis virtutibus insignes, pari dignitate conspiciantur.

Has ob causas putamus, novum generale Calendarium, ad usum Latini ritus digestum, sive magis cum huius temporis pietatis rationibus et sensibus congruere, sive aptius eam Ecclesiae proprietatem, qua est universalis, referre; utpote quod praeclarissimorum Virorum nomina deinceps proponat, qui perspicua sanctitatis spe-

[10] Ibid., n. 103.
[11] Cf. *Breviarium Syriacum* (saec. v), ed. B. Mariani, Roma 1956, p. 27.
[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* n. 111: A.A.S. 56 (1964) p. 127.
[13] Cf. Ibid., n. 104, pp. 125 s.
[14] Ibid., n. 111, p. 127.

cimina, multiplicibus excultae modis, cuncto populo Dei apponant. Quod quantum ad spiritualem totius christianae multitudinis utilitatem conducat supervacaneum est dicere.

Huiusmodi ergo causis diligentissime coram Domino perpensis, novum Calendarium Romanum generale a Consilio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia compositum, itemque normas universales ad ordinationem anni liturgici spectantes, Apostolica Nostra auctoritate approbamus, ut a die I mensis Ianuarii proximi anni MCMLXX vigere incipiant, iuxta decreta, quae Sacra Rituum Congregatio coniuncte cum Consilio, de quo mox diximus, fecerit, usque ad illud tempus valitura, quo Missale et Breviarium rite instaurata edita erunt.

Quaecumque vero Nostris hisce Litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris latis, ceterisque praescriptionibus, etiam mentione et derogatione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Februarii anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.

PAULUS PP. VI

NORMÆ UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET DE CALENDARIO

Caput primum

DE ANNO LITURGICO

1. Christi opus salutiferum sancta Ecclesia, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrat. In unaquaque hebdomada, die quae dominica appellatur, memoriam agit Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, maxima Paschae sollemnitate, una cum beata eius Passione frequentat. Per anni vero circulum Christi totum mysterium explicat nataliciaque Sanctorum commemorat.

Variis autem anni liturgici temporibus, iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit, per pias animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, paenitentiae et misericordiae opera.[1]

2. Principia quae sequuntur tum ad ritum romanum tum ad omnes alios ritus applicari possunt ac debent, normae tamen practicae solum ritum romanum spectare intellegendae sunt, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.[2]

Tit. I - De diebus liturgicis

I. *De die liturgico in genere*

3. Unusquisque dies sanctificatur liturgicis populi Dei celebrationibus, praesertim vero Sacrificio eucharistico et Officio divino.

Dies liturgicus decurrit a media nocte ad mediam noctem. Celebratio vero dominicae et sollemnitatum incipit iam vespere diei praecedentis.

II. *De dominica*

4. Primo uniuscuiusque hebdomadae die, quae dies Domini seu dies dominica nuncupatur, Ecclesia, ex traditione apostolica, quae originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, mysterium paschale celebrat. Itaque dominica uti primordialis dies festus haberi debet.[3]

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 102-105: A.A.S. 56 (1964) pp. 125-126.
[2] Cf. Ibidem, n. 3: A.A.S. 56 (1964) p. 98.
[3] Cf. Ibidem, n. 106: A.A.S. 56 (1964) p. 126.

5. Propter suum peculiare momentum, dominica suam cedit celebrationem solummodo sollemnitatibus, necnon festis Domini; Dominicae vero Adventus, Quadragesimae et Paschae super omnia festa Domini et super omnes sollemnitates praecedentiam habent. Sollemnitates autem in his dominicis occurrentes, sabbato anticipantur.

6. Dominica excludit per se assignationem perpetuam alius celebrationis. Attamen:

a) Dominica infra octavam Nativitatis Domini, fit festum S. Familiae;
b) Dominica post diem 6 ianuarii, fit festum Baptismatis Domini;
c) Dominica post Pentecosten, fit sollemnitas SS.mae Trinitatis;
d) Dominica ultima « per annum », fit sollemnitas D. N. I. C. universorum Regis.

7. Ubi autem sollemnitates Epiphaniae, Ascensionis et SS.mae Eucharistiae non sunt de praecepto servandae, assignentur dominicae tamquam diei proprio, hac ratione:

a) Epiphania, dominicae a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti;
b) Ascensio, dominicae VII Paschae;
c) Sollemnitas SS.mae Eucharistiae, dominicae post SS.mam Trinitatem.
SS.mi Corporis Christi

III. *De sollemnitatibus, festis et memoriis*

8. Anni circulo, Ecclesia, mysterium Christi celebrando, etiam beatam Dei Genetricem Mariam cum peculiari amore veneratur, memoriasque Martyrum aliorumque Sanctorum pietati fidelium proponit.[4]

9. Sancti qui momentum universale prae se ferunt in Ecclesia universa obligatorie celebrantur; ceteri, aut in calendario inscribuntur, ad libitum tamen celebrandi, aut particulari cuique Ecclesiae, vel nationi, vel religiosae familiae, relinquuntur colendi.[5]

10. Celebrationes, iuxta momentum quod ipsis tribuitur, ita inter se distinguuntur et nominantur: sollemnitas, festum, memoria.

11. Sollemnitates inter dies praecipuos adnumerantur, quorum celebratio incipit a I Vesperis, die praecedenti. Nonnullae sollemnitates etiam Missa propria vigiliae ditantur, vespere diei praecedentis adhibenda, si Missa horis vespertinis celebratur.

12. Summarum sollemnitatum Paschae et Nativitatis celebratio per octo dies continuos protrahitur. Utraque octava legibus propriis ordinatur.

[4] Cf. CONC. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 103-104: A.A.S. 56 (1964) pp. 125-126.
[5] Cf. Ibidem, n. 111: A.A.S. 56 (1964) p. 127.

13. Festa intra fines diei naturalis celebrantur; proinde non habent I Vesperas, nisi de festis Domini agatur quae in dominicis per annum occurrunt et pro earum Officio substituuntur.

14. Memoriae sunt obligatoriae vel ad libitum; earum autem celebratio cum celebratione feriae occurrentis componitur secundum normas, quae in Institutionibus generalibus de Missa et de Officio divino exponuntur.

Memoriae vero obligatoriae, quae occurrunt in feriis Quadragesimae, solummodo tamquam memoriae ad libitum celebrari possunt.

Si eodem die plures inscribuntur in calendario memoriae ad libitum, una tantum celebrari potest, omissis ceteris.

15. In sabbatis per annum, in quibus non occurrat memoria obligatoria, fieri potest memoria ad libitum de beata Maria Virgine.

IV. *De feriis*

16. Hebdomadae dies, qui post dominicam decurrunt, feriae nuncupantur; diversa tamen ratione celebrantur, iuxta momentum ipsis proprium:

a) Feria IV Cinerum et feriae Hebdomadae sanctae, a feria II ad feriam V inclusive, omnibus aliis celebrationibus praeferuntur.

b) Feriae Adventus, a die 17 ad diem 24 decembris inclusive, et omnes feriae Quadragesimae memoriis obligatoriis praeferuntur.

c) Ceterae feriae omnibus sollemnitatibus et festis cedunt et cum memoriis componuntur.

Tit. II - De anni circulo

17. Totum Christi mysterium per anni circulum ab Ecclesia recolitur, ab Incarnatione usque ad diem Pentecostes et ad exspectationem adventus Domini.[6]

I. *De Triduo paschali*

18. Cum vero humanae redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus adimpleverit Christus praecipue per suum paschale mysterium, quo mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit, sacrum paschale Triduum Passionis et Resurrectionis Domini uti totius

[6] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 102: A.A.S. 56 (1964) p. 125.

anni liturgici culmen effulget.[7] Fastigium igitur, quod dies dominica habet in hebdomada, sollemnitas Paschae habet in anno liturgico.[8]

19. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini incipit a Missa vespertina in Cena Domini, habet suum centrum in Vigilia paschali, et clauditur Vesperis dominicae Resurrectionis.

20. Feria VI in Passione Domini,[9] et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto usque ad Vigiliam paschalem,[10] ubique celebratur sacrum ieiunium paschale.

Feria VI Hebdomadae sanctae, horis postmeridianis, fit celebratio Passionis Domini.

21. Vigilia paschalis, nocte sancta qua Dominus resurrexit, habetur ut « mater omnium sanctarum Vigiliarum »,[11] in qua Ecclesia Christi resurrectionem vigilando exspectat, eamque in sacramentis celebrat. Ergo tota huius sacrae Vigiliae celebratio nocte peragi debet, ita ut incipiatur post initium noctis et finiatur ante diei dominicae diluculum.

II. *De tempore paschali*

22. Quinquaginta dies a dominica Resurrectionis ad dominicam Pentecostes in laetitia et exsultatione celebrantur sicut unus dies festus, immo « magna dominica ».[12]

Hi sunt dies in quibus praecipue cantatur *Alleluia.*

23. Dominicae huius temporis veluti dominicae Paschae habentur et, post dominicam Resurrectionis, dominicae II, III, IV, V, VI, VII Paschae nuncupantur; concluditur autem hoc sacrum quinquaginta dierum tempus dominica Pentecostes.

24. Octo primi dies temporis paschalis constituunt octavam Paschae et uti sollemnitates Domini celebrantur.

25. Quadragesima die post Pascha celebratur Ascensio Domini, nisi, ubi non est de praecepto servanda, VII dominicae Paschae fuerit assignata (cf. n. 7).

26. Feriae post Ascensionem usque ad sabbatum ante Pentecosten inclusive ad adventum praeparant Spiritus Sancti Paracliti.

[7] Cf. CONC. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 5: A.A.S. 56 (1964) p. 99.

[8] Cf. Ibidem, n. 106: A.A.S. 56 (1964) p. 126.

[9] Cf. PAULUS VI, Const. Apost. *Paenitemini,* 17 febr. 1966, II § 3: A.A.S. 58 (1966) p. 184.

[10] Cf. CONC. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 110: A.A.S. 56 (1964) p. 127.

[11] S. AUGUSTINUS, *Sermo* 219: PL 38, 1088.

[12] S. ATHANASIUS, *Epist. fest.* 1: PG 26, 1366.

III. *De tempore Quadragesimae*

27. Tempus Quadragesimae ordinatur ad praeparationem celebrationis Paschae: liturgia enim quadragesimalis tam catechumenos, per diversos initiationis christianae gradus, quam fideles, memoriam Baptismi recolentes et paenitentiam agentes, componit ad celebrandum paschale mysterium.[13]

28. Tempus Quadragesimae decurrit a feria IV Cinerum ad Missam in Cena Domini exclusive.

Ab initio Quadragesimae usque ad Vigiliam paschalem non dicitur *Alleluia.*

29. Feria IV in capite Quadragesimae, quae ubique habetur ut dies ieiunii,[14] imponuntur cineres.

30. Dominicae huius temporis appellantur dominicae I, II, III, IV, V in Quadragesima. Dominica sexta, in qua initium sumit Hebdomada sancta, dicitur « Dominica in palmis de Passione Domini ».

31. Hebdomada sancta ordinatur ad recolendam Passionem Christi ab eius ingressu messianico in Ierusalem.

Feria V Hebdomadae sanctae, mane, Episcopus, Missam cum suo presbyterio concelebrans, olea sancta benedicit et chrisma conficit.

IV. *De tempore Nativitatis*

32. Post annuam mysterii paschalis celebrationem, nihil antiquius habet Ecclesia quam memoriam Nativitatis Domini et primarum eius manifestationum recolere: quod fit tempore Nativitatis.

33. Tempus Nativitatis decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad dominicam post Epiphaniam, seu post diem 6 ianuarii, inclusive.

34. Missa in Vigilia Nativitatis adhibetur vespere diei 24 decembris sive ante sive post I Vesperas.

Die autem Nativitatis Domini, Missa ter celebrari potest, secundum antiquam traditionem romanam, scilicet in nocte, in aurora et in die.

35. Nativitas Domini suam habet octavam sic ordinatam:

a) Dominica infra octavam, fit festum S. Familiae Iesu, Mariae et Ioseph.
b) Die 26 decembris, fit festum S. Stephani, Protomartyris.
c) Die 27 decembris, fit festum S. Ioannis, Apostoli et Evangelistae.

[13] Cf. CONC. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 109: A.A.S. 56 (1964) p. 127.

[14] Cf. PAULUS VI, Const. Apost. *Paenitemini,* 17 febr. 1966, II § 3: A.A.S. 58 (1966) p. 184.

d) Die 28 decembris, fit festum Ss. Innocentium.
e) Dies 29, 30, 31 sunt dies infra octavam.
f) Die 1 ianuarii, in octava Nativitatis, fit Sollemnitas Sanctae Dei Genetricis Mariae, in qua commemoratur etiam impositio SS.mi Nominis Iesu.

36. Dominica a die 2 ad diem 5 ianuarii occurrens est Dominica II post Nativitatem.

37. Epiphania Domini celebratur die 6 ianuarii, nisi, ubi non est de praecepto servanda, assignata sit dominicae a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti (cf. n. 7).

38. Dominica post diem 6 ianuarii occurrente, fit festum Baptismatis Domini.

V. *De tempore Adventus*

39. Tempus Adventus duplicem habet indolem: est enim tempus praeparationis ad sollemnia Nativitatis, in quibus primus Dei Filii adventus ad homines recolitur, ac simul tempus quo per hanc recordationem mentes diriguntur ad exspectationem secundi Christi adventus in fine temporum. His duabus rationibus, tempus Adventus se praebet ut tempus devotae ac iucundae exspectationis.

40. Tempus Adventus incipit a I Vesperis dominicae quae incidit in diem 30 novembris vel est huic vicinior, et explicit ante I Vesperas Nativitatis Domini.

41. Dominicae huius temporis nuncupantur dominicae I, II, III, IV Adventus.

42. Feriae a die 17 ad diem 24 decembris inclusive modo magis directo ad praeparationem Nativitatis Domini ordinantur.

VI. *De tempore « per annum »*

43. Praeter tempora propriam indolem habentia, triginta tres vel triginta quattuor supersunt hebdomadae per anni circulum, in quibus non celebratur peculiaris mysterii Christi aspectus; sed potius ipsum mysterium Christi in sua plenitudine recolitur, praesertim vero diebus dominicis. Huiusmodi periodus tempus « per annum » nuncupatur.

44. Tempus « per annum » incipit feria II quae sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem et protrahitur usque ad feriam III ante

Quadragesimam inclusive; iterum incipit feria II post dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicae I Adventus.

Eadem ratione adhibetur series formulariorum, quae pro dominicis et feriis huius temporis invenitur tum in Breviario tum in Missali.

VII. *De Rogationibus et Quattuor anni Temporibus*

45. In Rogationibus et Quattuor anni Temporibus, Ecclesia solet pro variis hominum necessitatibus, imprimis vero pro fructibus terrae et hominum laboribus, Dominum exorare, eique publice gratias referre.

46. Ut Rogationes et Quattuor anni Tempora diversis locorum et fidelium necessitatibus aptari possint, quoad tempus et rationem illa celebrandi a Conferentiis Episcopalibus ordinentur oportet.

De eorum proinde amplitudine celebrationis, per unum vel plures dies protrahendae, de eorum iteratione per anni decursum, normae statuantur a competenti auctoritate, attentis necessitatibus localibus.

47. Missa pro singulis diebus harum celebrationum, inter votivas eligatur, quae sit magis accommodata supplicationum proposito.

Caput secundum

DE CALENDARIO

Tit. I - De calendario et celebrationibus in eo inscribendis

48. Ordinatio celebrationis anni liturgici calendario regitur, quod est generale vel particulare, prouti statutum est in usum totius ritus romani, vel in usum alicuius Ecclesiae particularis vel familiae religiosae.

49. In calendario generali universus cyclus celebrationum inscribitur, tum mysterii salutis in Proprio de tempore, tum eorum Sanctorum qui momentum universale prae se ferunt, et ideo obligatorie ab omnibus celebrantur, tum aliorum qui universalitatem et continuitatem sanctitatis in populo Dei demonstrant.

Calendaria vero particularia celebrationes magis proprias continent congruenti ratione cum cyclo generali organice compositas. Singulae enim Ecclesiae vel familiae religiosae Sanctos, qui ipsis sunt peculiari ratione proprii, peculiari honore prosequantur oportet.

Calendaria tamen particularia, a competenti auctoritate componenda, ab Apostolica Sede sunt probanda.

50. In componendis calendariis particularibus, ad haec attendatur:

a) Proprium de tempore, seu cyclus temporum, sollemnitatum et festorum, quo mysterium Redemptionis in anno liturgico explicatur et colitur, integer semper servetur, et debita praeeminentia gaudeat super celebrationes particulares.

b) Celebrationes propriae organice cum celebrationibus universalibus componantur, attentis ordine et praecedentia in tabula dierum liturgicorum pro singulis indicatis. Ne tamen calendaria particularia plus aequo onerentur, singuli Sancti unica celebratione in anno liturgico gaudeant, servata, ubi rationes pastorales id suadeant, altera celebratione in forma memoriae ad libitum pro translatione aut inventione sanctorum Patronorum aut Fundatorum Ecclesiarum vel familiarum religiosarum.

c) Celebrationes indultae ne sint duplicatio aliarum celebrationum in cyclo mysterii salutis iam occurrentium, neque numero plus aequo augeantur.

51. Quamvis conveniat ut quaevis dioecesis suum Calendarium et Proprium Officiorum atque Missarum habeat, nihil tamen obstat quominus Calendaria et Propria habeantur universae provinciae aut regioni aut nationi, vel etiam latiori dicioni, communia, ab iis quorum interest, mutua cooperatione paranda.

Quod principium, aequa ratione, servari potest etiam in calendariis religiosis pro pluribus provinciis eiusdem dicionis civilis.

52. Calendarium particulare conficitur inserendo calendario generali sollemnitates, festa et memorias quae sunt propria, idest:

a) In calendario dioecesano, praeter celebrationes Patronorum, et Dedicationis ecclesiae cathedralis, Sancti et Beati, qui cum dioecesi peculiarem habent necessitudinem, ex. gr. originis, commorationis longioris, obitus.

b) In calendario religioso, praeter celebrationes Tituli, Fundatoris et Patroni, Sancti et Beati, qui illius familiae religiosae sodales fuerunt vel cum ea peculiarem relationem habuerunt.

c) In calendario singularum ecclesiarum, praeter celebrationes proprias dioecesis aut familiae religiosae, celebrationes ipsius ecclesiae propriae, quae in tabula dierum liturgicorum recensentur, necnon Sancti quorum corpus in eadem ecclesia asservatur. Sodales autem familiarum religiosarum cum communitate Ecclesiae localis iunguntur in celebrandis Dedicatione ecclesiae cathedralis et Patronis principalibus loci et amplioris dicionis ubi degunt.

53. Quando aliqua dioecesis vel aliqua familia religiosa pluribus Sanctis et Beatis decoratur, cavendum est ne calendarium universae dioecesis vel universi Instituti plus aequo gravetur. Proinde:

a) Haberi potest imprimis celebratio communis omnium Sanctorum et Beatorum dioecesis vel familiae religiosae, vel alicuius ordinis eorum;

b) Singulari celebratione inscribantur calendario tantummodo Sancti vel Beati, qui peculiare momentum prae se ferunt pro universa dioecesi vel familia religiosa;

c) Ceteri Sancti et Beati celebrentur tantum iis in locis cum quibus strictiores habent necessitudines, aut ubi eorum corpus asservatur.

54. Celebrationes propriae, nisi aliter pro aliquibus earum in tabula dierum liturgicorum praevideatur, aut peculiares rationes exstent historicae aut pastorales, ut memoriae obligatoriae vel ad libitum inscribantur. Nihil tamen impedit, quominus aliquae celebrationes pro certis locis modo sollemniore fiant quam in universa dioecesi vel familia religiosa.

55. Celebrationes calendario proprio inscriptae ab omnibus qui ad illud calendarium tenentur servari debent; et nonnisi approbante Apostolica Sede e calendario expungi vel gradu mutari possunt.

Tit. II - De celebrationum die proprio

56. Sanctos consuevit Ecclesia celebrare ipsorum die natalicio: quod opportune servetur etiam in propriis celebrationibus calendario particulari inscribendis.

Attamen, etsi celebrationes propriae peculiare momentum habent pro singulis Ecclesiis particularibus vel familiis religiosis, valde tamen expedit ut, in celebrandis sollemnitatibus, festis et memoriis obligatoriis, quae in calendario generali recensentur, unitas, quantum fieri potest, habeatur.

Proinde in celebrationibus propriis calendario particulari inscribendis, haec serventur:

a) Celebrationes quae etiam in calendario generali recensentur, eodem die quo ibi inscripta sunt, calendario proprio inscribantur, mutato, si necesse est, gradu celebrationis.

Idem servetur in inscribendis celebrationibus alicui tantum ecclesiae propriis, ad calendarium dioecesanum vel religiosum quod attinet.

b) Celebrationes Sanctorum, quae in calendario generali non inveniuntur, diei natalicio assignentur.

c) Si autem dies natalicius ignoratur, celebratio assignetur diei alia ratione eidem Sancto proprio, ex. gr. diei ordinationis, inventionis, translationis; secus diei qui in calendario particulari liber sit ab aliis celebrationibus.

d) Si vero dies natalicius impeditur alia celebratione superioris vel

eiusdem gradus in calendario generali vel particulari, assignetur proximiori diei similiter non impedito.

e) Aliae celebrationes, quae indultae vocantur, inscribantur die aptiore sub respectu pastorali.

f) Ut autem cyclus anni liturgici plena sua luce fulgeat, neque celebrationes Sanctorum perpetuo impediantur, dies quibus plerumque tempus Quadragesimae et octava Paschae occurrunt, necnon dies a 17 ad 31 decembris, a celebrationibus particularibus liberi maneant, nisi agatur de memoriis non obligatoriis vel de festis de quibus in tabula dierum liturgicorum, n. 8 *a, b, c, d,* aut de sollemnitatibus quae ad aliud tempus nequeunt transferri.

Sollemnitas S. Ioseph (die 19 martii), ad alium diem extra Quadragesimam a Conferentiis Episcopalibus transferri potest, nisi sit de praecepto servanda.

57. Si qui Sancti vel Beati una simul calendario inscribuntur, simul semper celebrantur, quoties eodem gradu sunt celebrandi, etsi unus aut aliqui eorum sunt magis proprii. Si vero unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis gradu superiore sunt celebrandi, fiat Officium de his tantum, omissa celebratione ceterorum, nisi conveniat eos alii diei assignare ad modum memoriae obligatoriae.

58. Ad bonum pastorale fidelium procurandum, in dominicis per annum, licet eas celebrationes agere, quae infra hebdomadam occurrunt, quaeque ipsorum fidelium pietati sunt acceptae, dummodo hae in tabula praecedentiae ipsi dominicae praeponantur. De his celebrationibus dici possunt omnes Missae, quae concurrente populo celebrantur.

59. Praecedentia inter dies liturgicos, quoad eorum celebrationem, unice regitur sequenti tabula.

Tabula dierum liturgicorum
secundum ordinem praecedentiae disposita

I

1. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.
2. Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes.
   Dominicae Adventus, Quadragesimae et Paschae.
   Feria IV Cinerum.
   Feriae Hebdomadae sanctae, a feria II ad feriam V inclusive.
   Dies infra octavam Paschae.

3. Sollemnitates Domini, beatae Mariae Virginis, Sanctorum in calendario generali inscriptae.

Commemoratio omnium fidelium defunctorum, quae tamen locum cedit dominicae occurrenti.

4. Sollemnitates propriae, nempe:

a) Sollemnitas Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis.

b) Sollemnitas Dedicationis et anniversarii Dedicationis ecclesiae propriae.

c) Sollemnitas Tituli ecclesiae propriae.

d) Sollemnitas aut Tituli,
aut Fundatoris,
aut Patroni principalis Ordinis seu Congregationis.

II

5. Festa Domini.

6. Dominicae temporis Nativitatis et dominicae « per annum ».

7. Festa beatae Mariae Virginis et Sanctorum calendarii generalis.

8. Festa propria, nempe:

a) Festum Patroni principalis dioecesis.

b) Festum anniversarii Dedicationis ecclesiae cathedralis.

c) Festum Patroni principalis regionis aut provinciae, nationis, amplioris territorii.

d) Festum Tituli, Fundatoris, Patroni principalis Ordinis seu Congregationis et provinciae religiosae, salvis praescriptis sub n. 4.

e) Alia festa alicui ecclesiae propria.

f) Alia festa inscripta in Calendario cuiusque dioecesis vel Ordinis seu Congregationis.

9. Feriae Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive.
Dies infra octavam Nativitatis.
Feriae Quadragesimae.

III

10. Memoriae obligatoriae calendarii generalis.

11. Memoriae obligatoriae propriae, nempe:

a) Memoriae Patroni secundarii loci, dioecesis, regionis aut provinciae, nationis, amplioris territorii, Ordinis seu Congregationis et provinciae religiosae.

b) Aliae memoriae obligatoriae alicui ecclesiae propriae.

c) Aliae memoriae obligatoriae inscriptae in calendario cuiusque dioecesis, vel Ordinis seu Congregationis.

12. Memoriae ad libitum, quae tamen, modo quidem peculiari in Institutionibus de Missa et de Officio descripto, fieri possunt etiam diebus de quibus sub n. 9.

Hac eadem ratione, ut memoriae ad libitum celebrari possunt memoriae obligatoriae, quae accidentaliter occurrunt in feriis Quadragesimae.

13. Feriae Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive.

Feriae temporis Nativitatis a die 2 ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam.

Feriae temporis paschalis a feria II post octavam Paschae ad sabbatum ante Pentecosten inclusive.

Feriae per annum.

60. Si eodem die plures celebrationes occurrunt, fit de ea quae in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum.

Attamen:

a) in occurrentia perpetua, sollemnitates et festa, necnon memoriae calendarii particularis quae in tota dioecesi vel in tota familia religiosa vel eiusdem provincia impediuntur, assignentur proximiori diei non impedito sollemnitatibus vel festis; memoriae vero calendarii generalis in aliquo calendario particulari, necnon memoriae dioecesis vel familiae religiosae in aliqua tantum ecclesia impeditae, omittuntur.

b) In occurrentia accidentali, sollemnitas quae impeditur a die liturgico qui praecedentia gaudeat, ad proximiorem diem transferatur qui sit liber a diebus sub nn. 1-8 in tabula praecedentiae recensitis. Reliquae celebrationes eo anno omittuntur.

61. Si vero eodem die celebrandae sint Vesperae Officii currentis et I Vesperae diei sequentis, praevalent Vesperae celebrationis quae in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum; in casu autem paritatis, Vesperae diei currentis.

CALENDARIUM ROMANUM GENERALE

IANUARIUS

1	In octava Nativitatis. SOLLEMNITAS SANCTAE DEI GENETRICIS MARIAE	Sollemnitas
2	Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiae doctorum	Memoria
3		
4		
5		
6	IN EPIPHANIA DOMINI	Sollemnitas
7	*S. Raymundi de Penyafort, presbyteri* *	
8		
9		
10		
11		
12		
13	*S. Hilarii, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
14		
15		
16		
17	S. Antonii, abbatis	Memoria
18		
19		
20	*S. Fabiani, papae et martyris* *S. Sebastiani, martyris*	
21	S. Agnetis, virginis et martyris	Memoria
22	*S. Vincentii, diaconi et martyris*	
23		
24	S. Francisci de Sales, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
25	In Conversione S. Pauli, apostoli	Festum
26	Ss. Timothei et Titi, episcoporum	Memoria
27	*S. Angelae Merici, virginis*	
28	S. Thomae de Aquino, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
29		
30		
31	S. Ioannis Bosco, presbyteri	Memoria

Dominica post diem 6 ianuarii: Baptismatis Domini — Festum

* *Quando non indicatur gradus celebrationis, fit Memoria ad libitum.*

FEBRUARIUS

1		
2	IN PRAESENTATIONE DOMINI	Festum
3	*S. Blasii, episcopi et martyris*	
	S. Ansgarii, episcopi	
4		
5	S. Agathae, virginis et martyris	Memoria
6	Ss. Pauli Miki, ~~presbyteri,~~ et sociorum, martyrum	Memoria
7		
8	*S. Hieronymi Emiliani, ~~presbyteri~~*	
9		
10	S. Scholasticae, virginis	Memoria
11	*B. Mariae Virginis de Lapurdo*	
12		
13		
14	Ss. Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi	Memoria
15		
16		
17	*Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.*	
18		
19		
20		
21	*S. Petri Damiani, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
22	CATHEDRAE S. PETRI, APOSTOLI	Festum
23	S. Polycarpi, episcopi et martyris	Memoria
24		
25		
26		
27		
28		

MARTIUS

1		
2		
3		
4	*S. Casimiri*	
5		
6		
7	Ss. Perpetuae et Felicitatis, martyrum	Memoria
8	*S. Ioannis a Deo, religiosi*	
9	*S. Franciscae Romanae, religiosae*	
10		
11		
12		

13		
14		
15		
16		
17	*S. Patricii, episcopi*	
18	*S. Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
19	S. IOSEPH, SPONSI B. M. V.	Sollemnitas
20		
21		
22		
23	*S. Turibii de Mongrovejo, episcopi*	
24		
25	IN ANNUNTIATIONE DOMINI	Sollemnitas
26		
27		
28		
29		
30		
31		

APRILIS

1		
2	*S. Francisci de Paula, eremitae*	
3		
4	*S. Isidori, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
5	*S. Vincentii Ferrer, presbyteri*	
6		
7	S. Ioannis Baptistae de la Salle, presbyteri	Memoria
8		
9		
10		
11	*S. Stanislai, episcopi et martyris*	
12		
13	*S. Martini I, papae et martyris*	
14		
15		
16		
17		
18		
19		
20		
21	*S. Anselmi, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
22		
23	*S. Georgii, martyris*	

24	*S. Fidelis de Sigmaringa, presbyteri et martyris*	
25	S. MARCI, EVANGELISTAE	Festum
26		
27		
28	*S. Petri Chanel, presbyteri et martyris*	
29	S. Catharinae Senensis, virginis	Memoria
30	*S. Pii V, papae*	

MAIUS

1	*S. Ioseph Opificis*	
2	S. Athanasii, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
3	SS. PHILIPPI ET IACOBI, APOSTOLORUM	Festum
4		
5		
6		
7		
8		
9		
10		
11		
12	*Ss. Nerei et Achillei, martyrum* *S. Pancratii, martyris*	
13		
14	S. MATTHIAE, APOSTOLI	Festum
15		
16		
17		
18	*S. Ioannis I, papae et martyris*	
19		
20	*S. Bernardini Senensis, presbyteri*	
21		
22		
23		
24		
25	*S. Bedae Venerabilis, presbyteri et Ecclesiae doctoris* *S. Gregorii VII, papae* *S. Mariae Magdalenae de' Pazzi, virginis*	
26	S. Philippi Neri, presbyteri	Memoria
27	*S. Augustini Cantuariensis, episcopi*	
28		
29		
30		
31	IN VISITATIONE B. MARIAE VIRGINIS	Festum

Dominica prima post Pentecosten: SS.MAE TRINITATIS — Sollemnitas
Feria V post Ss.mam Trinitatem: SS.MI CORPORIS CHRISTI — Sollemnitas
Feria VI post dominicam secundam post Pentecosten:
SACRATISSIMI CORDIS IESU — Sollemnitas
Sabbato post dominicam secundam post Pentecosten:
Immaculati Cordis B. Mariae Virginis

IUNIUS

1	S. Iustini, martyris	Memoria
2	*Ss. Marcellini et Petri, martyrum*	
3	Ss. Caroli Lwanga et sociorum, martyrum	Memoria
4		
5	S. Bonifatii, episcopi et martyris	Memoria
6	*S. Norberti, episcopi*	
7		
8		
9	*S. Ephraem, diaconi et Ecclesiae doctoris*	
10		
11	S. Barnabae, apostoli	Memoria
12		
13	S. Antonii de Padua, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
14		
15		
16		
17		
18		
19	*S. Romualdi, abbatis*	
20		
21	S. Aloisii Gonzaga, religiosi	Memoria
22	*S. Paulini Nolani, episcopi*	
	Ss. Ioannis Fisher, episcopi, et Thomae More, martyrum	
23		
24	IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE	Sollemnitas
25		
26		
27	*S. Cyrilli Alexandrini, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
28	S. Irenaei, episcopi et martyris	Memoria
29	SS. PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM	Sollemnitas
30	*Ss. Protomartyrum S. Romanae Ecclesiae*	

IULIUS

1		
2		
3	S. THOMAE, APOSTOLI	Festum
4	*S. Elisabeth Lusitaniae*	
5	*S. Antonii Mariae Zaccaria, presbyteri*	
6	*S. Mariae Goretti, virginis et martyris*	
7		
8		
9		
10		
11	S. Benedicti, abbatis	Memoria
12		
13	*S. Henrici*	
14	*S. Camilli de Lellis, presbyteri*	
15	S. Bonaventurae, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
16	*B. Mariae Virginis de Monte Carmelo*	
17		
18		
19		
20		
21	*S. Laurentii de Brundusio, presbyteri et Ecclesiae doctoris*	
22	S. Mariae Magdalenae	Memoria
23	*S. Birgittae, religiosae*	
24		
25	S. IACOBI, APOSTOLI	Festum
26	Ss. Ioachim et Annae, parentum B. M. V.	Memoria
27		
28		
29	S. Marthae	Memoria
30	*S. Petri Chrysologi, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
31	S. Ignatii de Loyola, presbyteri	Memoria

AUGUSTUS

1	S. Alfonsi Mariae de' Liguori, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
2	*S. Eusebii Vercellensis, episcopi*	
3		
4	S. Ioannis Mariae Vianney, presbyteri	Memoria
5	*In Dedicatione basilicae S. Mariae*	
	Ss. Xysti II, papae, et sociorum, martyrum	
6	IN TRANSFIGURATIONE DOMINI	Festum

8	S. Dominici, presbyteri	Memoria
8	*S. Caietani, presbyteri*	
9		
10	S. LAURENTII, DIACONI ET MARTYRIS	Festum
11	S. Clarae, virginis	Memoria
12		
13	*Ss. Pontiani, papae, et Hippolyti, presbyteri, martyrum*	
14		
15	IN ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS	Sollemnitas
16	*S. Stephani Hungariae*	
17		
18		
19	*S. Ioannis Eudes, presbyteri*	
20	S. Bernardi, abbatis et Ecclesiae doctoris	Memoria
21	S. Pii X, papae	Memoria
22	B. Mariae Virginis Reginae	Memoria
23	*S. Rosae de Lima, virginis*	
24	S. BARTHOLOMAEI, APOSTOLI	Festum
25	*S. Ludovici*	
	S. Ioseph Calasanz, presbyteri	
26		
27	S. Monicae	Memoria
28	S. Augustini, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
29	In Passione S. Ioannis Baptistae, martyris	Memoria
30		
31		

SEPTEMBER

1		
2		
3	S. Gregorii Magni, papae et Ecclesiae doctoris	Memoria
4		
5		
6		
7		
8	IN NATIVITATE B. MARIAE VIRGINIS	Festum
9		
10		
11		
12		
13	S. Ioannis Chrysostomi, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
14	IN EXALTATIONE SANCTAE CRUCIS	Festum
15	B. Mariae Virginis Perdolentis	Memoria
16	Ss. Cornelii, papae, et Cypriani, episcopi, martyrum	Memoria

17	*S. Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
18		
19	*S. Ianuarii, episcopi et martyris*	
20		
21	S. MATTHAEI, APOSTOLI ET EVANGELISTAE	Festum
22		
23		
24		
25		
26	*Ss. Cosmae et Damiani, martyrum*	
27	S. Vincentii de Paul, presbyteri	Memoria
28	*S. Wenceslai, martyris*	
29	Ss. MICHAELIS, GABRIELIS ET RAPHAELIS, ARCHANGELORUM	Festum
30	S. Hieronymi, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria

OCTOBER

1	S. Teresiae a Iesu Infante, virginis	Memoria
2	Ss. Angelorum Custodum	Memoria
3		
4	S. Francisci Assisiensis	Memoria
5		
6	*S. Brunonis, presbyteri*	
7	B. Mariae Virginis a Rosario	Memoria
8		
9	*Ss. Dionysii, episcopi, et sociorum, martyrum*	
	S. Ioannis Leonardi, presbyteri	
10		
11		
12		
13		
14	*S. Callisti I, papae et martyris*	
15	S. Teresiae de Avila, virginis	Memoria
16	*S. Hedwigis, religiosae*	
	S. Margaritae Mariae Alacoque, virginis	
17	S. Ignatii Antiocheni, episcopi et martyris	Memoria
18	S. LUCAE, EVANGELISTAE	Festum
19	*Ss. Isaac Jogues, presbyteri, et sociorum, martyrum*	
	S. Pauli a Cruce, presbyteri	
20		
21		
22		
23	*S. Ioannis de Capistrano, presbyteri*	
24	*S. Antonii Mariae Claret, episcopi*	

25		
26		
27		
28	Ss. Simonis et Iudae, apostolorum	Festum
29		
30		
31		

NOVEMBER

1	OMNIUM SANCTORUM	Sollemnitas
2	IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM	
3	*S. Martini de Porres, religiosi*	
4	S. Caroli Borromeo, episcopi	Memoria
5		
6		
7		
8		
9	In dedicatione basilicae Lateranensis	Festum
10	S. Leonis Magni, papae et Ecclesiae doctoris	Memoria
11	S. Martini Turonensis, episcopi	Memoria
12	S. Iosaphat, episcopi et martyris	Memoria
13		
14		
15	*S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiae doctoris*	
16	*S. Margaritae Scotiae*	
	S. Gertrudis, virginis	
17	S. Elisabeth Hungariae, religiosae	Memoria
18	*In Dedicatione basilicarum Ss. Petri et Pauli, apostolorum*	
19		
20		
21	In Praesentatione B. Mariae Virginis	Memoria
22	S. Caeciliae, virginis et martyris	Memoria
23	*S. Clementis I, papae et martyris*	
	S. Columbani, abbatis	
24		
25		
26		
27		
28		
29		
30	S. Andreae, apostoli	Festum

Dominica ultima « per annum »:

D. N. I. C. UNIVERSORUM REGIS — Sollemnitas

DECEMBER

1		
2		
3	S. Francisci Xavier, presbyteri	Memoria
4	*S. Ioannis Damasceni, presbyteri et Ecclesiae doctoris*	
5		
6	*S. Nicolai, episcopi*	
7	S. Ambrosii, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
8	IN CONCEPTIONE IMMACULATA BEATAE MARIAE VIRGINIS	Sollemnitas
9		
10		
11	*S. Damasi I, papae*	
12	*S. Ioannae Franciscae de Chantal, religiosae*	
13	S. Luciae, virginis et martyris	Memoria
14	S. Ioannis a Cruce, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
15		
16		
17		
18		
19		
20		
21	*S. Petri Canisii, presbyteri et Ecclesiae doctoris*	
22		
23	*S. Ioannis de Kęty, presbyteri*	
24		
25	IN NATIVITATE DOMINI	Sollemnitas
26	S. Stephani, protomartyris	Festum
27	S. Ioannis, apostoli et evangelistae	Festum
28	Ss. Innocentium, martyrum	Festum
29	*S. Thomae Becket, episcopi et martyris*	
30		
31	*S. Silvestri I, papae*	

Dominica infra octavam Nativitatis:

Sanctae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph	Festum

LITANIAE SANCTORUM

LITANIAE IN SOLLEMNIBUS SUPPLICATIONIBUS ADHIBENDAE

Quoties in singulis sectionibus plures formulae proponuntur litteris A *et* B *distinctis, una vel alia ad libitum seligi potest. In elencho Sanctorum aliqua nomina suis locis inseri possunt (ex. gr. Patronorum, Tituli ecclesiae, Fundatorum, etc.), litteris tamen diversis conscribenda. Item in supplicationibus pro diversis necessitatibus aliquae invocationes addi possunt, rerum et locorum adiunctis accommodatae.*

I

SUPPLICATIO AD DEUM

vel A

Kyrie, eleison
Kyrie, eleison
Christe, eleison
Christe, eleison
Kyrie, eleison
Kyrie, eleison

vel B

Pater de caelis Deus, miserere nobis
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis

II

INVOCATIO SANCTORUM

Sancta Maria ora pro nobis
Sancta Dei Genetrix ora pro nobis
Sancta Virgo virginum ora pro nobis
Sancti Michaël, Gabriel et Raphaël orate pro nobis
Omnes sancti Angeli orate pro nobis

Patriarchae et Prophetae

Sancte Abraham ora pro nobis
Sancte Moyses ora pro nobis
Sancte Elia ora pro nobis
Sancte Ioseph ora pro nobis
Sancte Ioannes Baptista ora pro nobis
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae orate pro nobis

Apostoli et Discipuli

Sancti Petre et Paule	orate pro nobis
Sancte Andrea	ora pro nobis
Sancti Ioannes et Iacobe	orate pro nobis
Sancte Thoma	ora pro nobis
Sancte Matthaee	ora pro nobis
Omnes sancti Apostoli	orate pro nobis
Sancte Luca	ora pro nobis
Sancte Marce	ora pro nobis
Sancte Barnaba	ora pro nobis
Sancta Maria Magdalena	ora pro nobis
Omnes sancti Discipuli Domini	orate pro nobis

Martyres

Sancte Stephane	ora pro nobis
Sancte Ignati Antiochene	ora pro nobis
Sancte Polycarpe	ora pro nobis
Sancte Iustine	ora pro nobis
Sancte Laurenti	ora pro nobis
Sancte Cypriane	ora pro nobis
Sancte Bonifati	ora pro nobis
Sancte Thoma Becket	ora pro nobis
Sancti Ioannes Fisher et Thoma More	orate pro nobis
Sancte Paule Miki	ora pro nobis
Sancti Isaac Jogues et Ioannes de Brébeuf	orate pro nobis
Sancte Petre Chanel	ora pro nobis
Sancte Carole Lwanga	ora pro nobis
Sanctae Perpetua et Felicitas	orate pro nobis
Sancta Agnes	ora pro nobis
Sancta Maria Goretti	ora pro nobis
Omnes sancti Martyres	orate pro nobis

Episcopi et Doctores

Sancti Leo et Gregori	orate pro nobis
Sancte Ambrosi	ora pro nobis
Sancte Hieronyme	ora pro nobis
Sancte Augustine	ora pro nobis
Sancte Athanasi	ora pro nobis
Sancti Basili et Gregori Nazianzene	orate pro nobis
Sancte Ioannes Chrysostome	ora pro nobis
Sancte Martine	ora pro nobis

Sancte Patrici ora pro nobis
Sancti Cyrille et Methodi orate pro nobis
Sancte Carole Borromeo ora pro nobis
Sancte Francisce de Sales ora pro nobis
Sancte Pie Decime ora pro nobis

Sacerdotes et Religiosi

Sancte Antoni ora pro nobis
Sancte Benedicte ora pro nobis
Sancte Bernarde ora pro nobis
Sancti Francisce et Dominice orate pro nobis
Sancte Thoma de Aquino ora pro nobis
Sancte Ignati de Loyola ora pro nobis
Sancte Francisce Xavier ora pro nobis
Sancte Vincenti de Paul ora pro nobis
Sancte Ioannes Maria Vianney ora pro nobis
Sancte Ioannes Bosco ora pro nobis
Sancta Catharina Senensis ora pro nobis
Sancta Teresia de Avila ora pro nobis
Sancta Rosa de Lima ora pro nobis

Laici

Sancte Ludovice ora pro nobis
Sancta Monica ora pro nobis
Sancta Elisabeth Hungariae ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctae Dei orate pro nobis

III

INVOCATIO AD CHRISTUM

vel A

Propitius esto, libera nos, Domine
Ab omni malo libera nos, Domine
Ab omni peccato libera nos, Domine
Ab insidiis diaboli libera nos, Domine
Ab ira et odio et omni mala voluntate libera nos, Domine
A morte perpetua libera nos, Domine
Per incarnationem tuam libera nos, Domine
Per nativitatem tuam libera nos, Domine
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum libera nos, Domine
Per crucem et passionem tuam libera nos, Domine

Per mortem et sepulturam tuam — libera nos, Domine
Per sanctam resurrectionem tuam — libera nos, Domine
Per admirabilem ascensionem tuam — libera nos, Domine
Per effusionem Spiritus Sancti — libera nos, Domine
Per gloriosum adventum tuum — libera nos, Domine

vel B

Christe, Fili Dei vivi — miserere nobis
Qui in hunc mundum venisti — miserere nobis
Qui in cruce pependisti — miserere nobis
Qui mortem propter nos accepisti — miserere nobis
Qui in sepulcro iacuisti — miserere nobis
Qui a mortuis resurrexisti — miserere nobis
Qui in caelos ascendisti — miserere nobis
Qui Spiritum Sanctum in Apostolos misisti — miserere nobis
Qui sedes ad dexteram Patris — miserere nobis
Qui venturus es iudicare vivos et mortuos — miserere nobis

IV

Supplicatio pro diversis necessitatibus

vel A

Ut nobis parcas — te rogamus, audi nos
Ut ad veram paenitentiam nos perducere digneris — te rogamus
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris — te rogamus
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas — te rogamus
Ut fructus terrae dare et conservare digneris — te rogamus

vel B

Ut nobis indulgeas — te rogamus, audi nos
Ut mentes nostras ad caelestia desideria erigas — te rogamus
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias — te rogamus
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris — te rogamus
Ut mundum a peste, fame et bello servare digneris — te rogamus
Ut cunctis populis pacem et veram concordiam donare digneris — te rogamus

C (*semper servanda*)

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris te rogamus
Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines
in sancta religione conservare digneris te rogamus
Ut omnibus in Christum credentibus unitatem largiri digneris te rogamus
Ut omnes homines ad Evangelii lumen perducere digneris te rogamus

V

Conclusio

vel A

Christe, audi nos
Christe, audi nos
Christe, exaudi nos
Christe, exaudi nos

vel B

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis

Oratio

Deus, refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum.

vel

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tui nominis nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Christum Dominum nostrum.

LITANIAE
PRO RITIBUS IN QUIBUS CONFERUNTUR CONSECRATIONES ET SOLLEMNES BENEDICTIONES

In unoquoque ritu addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum (ex. gr. Patroni, Tituli ecclesiae, Fundatoris, Patroni eorum qui consecrationem recipiunt, vel etiam omnium Apostolorum in Ordinatione Episcopi, etc.), aut aliquae invocationes magis aptae singulis circumstantiis.

Kyrie, eleison	
Kyrie, eleison	
Christe, eleison	
Christe, eleison	
Kyrie, eleison	
Kyrie, eleison	
Sancta Maria, Mater Dei	ora pro nobis
Sancte Michaël	ora pro nobis
Sancti Angeli Dei	orate pro nobis
Sancte Ioseph	ora pro nobis
Sancte Ioannes Baptista	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule	orate pro nobis
Sancte Andrea	ora pro nobis
Sancte Ioannes	ora pro nobis
Sancta Maria Magdalena	ora pro nobis
Sancte Stephane	ora pro nobis
Sancte Ignati Antiochene	ora pro nobis
Sancte Laurenti	ora pro nobis
Sanctae Perpetua et Felicitas	orate pro nobis
Sancta Agnes	ora pro nobis
Sancte Gregori	ora pro nobis
Sancte Augustine	ora pro nobis
Sancte Athanasi	ora pro nobis
Sancte Basili	ora pro nobis
Sancte Martine	ora pro nobis
Sancte Benedicte	ora pro nobis
Sancti Francisce et Dominice	orate pro nobis
Sancte Francisce Xavier	ora pro nobis
Sancte Ioannes Maria Vianney	ora pro nobis
Sancta Catharina Senensis	ora pro nobis
Sancta Teresia de Avila	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctae Dei	orate pro nobis
Propitius esto	libera nos, Domine
Ab omni malo	libera nos, Domine

Ab omni peccato — libera nos, Domine
A morte perpetua — libera nos, Domine
Per incarnationem tuam — libera nos, Domine
Per mortem et resurrectionem tuam — libera nos, Domine
Per effusionem Spiritus Sancti — libera nos, Domine
Peccatores, — te rogamus, audi nos
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris — te rogamus, audi nos
Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris — te rogamus, audi nos
Ut cunctis populis pacem et veram concordiam donare digneris — te rogamus, audi nos
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris — te rogamus, audi nos

---

Invocationes peculiares

In Vigilia paschali, quando celebratur Baptismus:

Ut hos electos per gratiam Baptismi regenerare digneris — te rogamus, audi nos

In Ordinationibus:

Ut hos electos benedicere digneris — te rogamus, audi nos
Ut hos electos benedicere et sanctificare digneris — te rogamus, audi nos
Ut hos electos benedicere et sanctificare et consecrare digneris — te rogamus, audi nos

In Dedicatione ecclesiae:

Ut hanc ecclesiam consecrare digneris — te rogamus, audi nos

Iesu, Fili Dei vivi — te rogamus, audi nos

Christe, audi nos
Christe, audi nos
Christe, exaudi nos
Christe, exaudi nos

CALENDARIUM GENERALE AD INTERIM SERVANDUM

DONEC PROMULGENTUR BREVIARIUM ET MISSALE EX DECRETO SS. CONCILII VATICANI II INSTAURATA

IANUARIUS

1	In Octava Nativitatis. SOLLEMNITAS S. DEI GENETRICIS MARIAE	Sollemnitas (I cl.)
2		
3		
4		
5		
6	IN EPIPHANIA DOMINI	Sollemnitas (I cl.)
7		
8		
9		
10		
11		
12		
13		
14	*S. Hilarii, episcopi et Eccl. doctoris* *	
15		
16		
17	S. Antonii, abbatis	Memoria (III cl.)
18		
19		
20	*Ss. Fabiani papae, et Sebastiani, martyrum*	
21	S. Agnetis, virginis et martyris	Memoria (III cl.)
22	*S. Vincentii, diaconi et martyris*	
23	*S. Raymundi de Penyafort, presbyteri*	
24	S. Timothei, episcopi	Memoria (III cl.)
25	IN CONVERSIONE S. PAULI, APOSTOLI	Festum (II cl.)
26	S. Polycarpi, episcopi et martyris	Memoria (III cl.)
27	S. Ioannis Chrysostomi, episc. et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
28		
29	S. Francisci de Sales, episc. et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
30		
31	S. Ioannis Bosco, presbyteri	Memoria (III cl.)
Dominica post diem 6 ianuarii:	BAPTISMATIS DOMINI	Festum (II cl.)

* *Quando non indicatur gradus, agitur de Memoria ad libitum.*

FEBRUARIUS

1	S. Ignatii Antiocheni, episcopi et martyris	Memoria (III cl.)
2	IN PRAESENTATIONE DOMINI	Festum (II cl.)
3	*S. Blasii, episcopi et martyris*	
	S. Ansgarii, episcopi	
4		
5	S. Agathae, virginis et martyris	Memoria (III cl.)
6	*S. Titi, episcopi*	
	Ss. Pauli Miki, ~~presbyteri~~, et sociorum, martyrum	
7	*S. Romualdi, abbatis*	
8		
9	*S. Cyrilli Alexandrini, episcopi et Eccl. doct.*	
10	S. Scholasticae, virginis	Memoria (III cl.)
11	*B. M. V. de Lapurdo*	
12	*Ss. VII Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., religiosorum*	
13		
14		
15		
16		
17		
18		
19		
20		
21		
22	CATHEDRAE S. PETRI, APOSTOLI	Festum (II cl.)
23	*S. Petri Damiani, episcopi et Eccl. doct.*	
24	S. MATTHIAE, APOSTOLI	Festum (II cl.)
25		
26		
27		
28		

MARTIUS

1		
2		
3		
4	*S. Casimiri*	
5		
6	Ss. Perpetuae et Felicitatis, martyrum	Memoria (III cl.)
7	S. Thomae de Aquino, presbyteri et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
8	*S. Ioannis a Deo, religiosi*	
9	*S. Franciscae Romanae, religiosae*	
10		
11	S. Gregorii Magni, papae et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)

12		
13		
14		
15		
16		
17	*S. Patricii, episcopi*	
18	*S. Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Eccl. doct.*	
19	S. IOSEPH, SPONSI B. M. V.	Sollemnitas (I cl.)
20		
21	S. Benedicti, abbatis	Memoria (III cl.)
22		
23	*S. Turibii de Mongrovejo, episcopi*	
24		
25	IN ANNUNTIATIONE DOMINI	Sollemnitas (I cl.)
26		
27	*S. Ioannis Damasceni, presbyteri et Eccl. doct.*	
28	*S. Ioannis de Capistrano, presbyteri*	
29		
30		
31		

APRILIS

1		
2	*S. Francisci de Paula, eremitae*	
3		
4	*S. Isidori, episcopi et Eccl. doctoris*	
5	*S. Vincentii Ferrer, presbyteri*	
6		
7		
8		
9		
10		
11	S. Leonis Magni, papae et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
12		
13		
14	S. Iustini, martyris	Memoria (III cl.)
15		
16		
17		
18		
19		
20		
21	*S. Anselmi, episcopi et Eccl. doctoris*	
22		

23	*S. Georgii, martyris*	
24	*S. Fidelis de Sigmaringa, martyris*	
25	S. MARCI, EVANGELISTAE	Festum (II cl.)
26		
27	*S. Petri Canisii, presbyteri et Eccl. doctoris*	
28	*S. Pauli a Cruce, presbyteri*	
	S. Petri Chanel, presbyteri et martyris	
29		
30	S. Catharinae Senensis, virginis	Memoria (III cl.)

MAIUS

1	*S. Ioseph Opificis*	
2	S. Athanasii, episcopi et Eccl. doctoris	Memoria (III cl.)
3		
4	S. Monicae	Memoria (III cl.)
5	*S. Pii V, papae*	
6		
7	*S. Stanislai, episcopi et martyris*	
8		
9	S. Gregorii Nazianzeni, episc. et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
10		
11	SS. PHILIPPI ET IACOBI, APOSTOLORUM	Festum (II cl.)
12	*Ss. Nerei et Achillei atque Pancratii, martyrum*	
13	*S. Roberti Bellarmino, episcopi et Eccl. doct.*	
14		
15	S. Ioannis Baptistae de la Salle, presbyteri	Memoria (III cl.)
16		
17		
18		
19		
20	*S. Bernardini Senensis, presbyteri*	
21		
22		
23		
24		
25	*S. Gregorii VII, papae*	
26	S. Philippi Neri, presbyteri	Memoria (III cl.)
27	*S. Bedae Venerabilis, presbyteri et Eccl. doct.*	
	S. Ioannis I, papae et martyris	
28	*S. Augustini Cantuariensis, episcopi*	
29	*S. Mariae Magdalenae de' Pazzi, virginis*	
30		
31	B. M. V. Reginae	Memoria (III cl.)

Dominica I post Pentecosten: SS.MAE TRINITATIS	Sollemnitas (I cl.)
Feria V post Ss.mam Trinitatem: SS.MI CORPORIS CHRISTI	Sollemnitas (I cl.)
Feria VI post dominicam II post Pentecosten: SACRATISSIMI CORDIS IESU	Sollemnitas (I cl.)
Sabbato post dominicam II post Pentecosten: *Immaculati Cordis B. Mariae Virginis*	

IUNIUS

1	*S. Angelae Merici, virginis*	
2	*Ss. Marcellini et Petri, martyrum*	
3	*Ss. Caroli Lwanga et sociorum, martyrum*	
4		
5	S. Bonifatii, episcopi et martyris	Memoria (III cl.)
6	*S. Norberti, episcopi*	
7		
8		
9		
10	*S. Margaritae Scotiae*	
11	S. Barnabae, apostoli	Memoria (III cl.)
12		
13	S. Antonii de Padua, presbyteri et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
14	S. Basilii Magni, episcopi et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
15		
16		
17		
18	*S. Ephraem, diaconi et Ecclesiae doctoris*	
19		
20		
21	S. Aloisii Gonzaga, religiosi	Memoria (III cl.)
22	*S. Paulini Nolani, episcopi*	
	Ss. Ioannis Fisher, episcopi, et Thomae More, martyrum	
23		
24	IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE	Sollemnitas (I cl.)
25		
26		
27		
28		
29	SS. PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM	Sollemnitas (I cl.)
30	*Ss. Protomartyrum S. Romanae Ecclesiae*	

IULIUS

1		
2	IN VISITATIONE B. M. V.	Festum (II cl.)
3	S. Irenaei, episcopi et martyris	Memoria (III cl.)
4		
5	*S. Antonii Mariae Zaccaria, presbyteri*	
6	*S. Mariae Goretti, virginis et martyris*	
7	S. Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi	Memoria (III cl.)
8	*S. Elisabeth Lusitaniae*	
9		
10		
11		
12		
13		
14	S. Bonaventurae, episcopi et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
15	*S. Henrici*	
16	*B. M. V. de Monte Carmelo*	
17		
18	*S. Camilli de Lellis, presbyteri*	
19	S. Vincentii de Paul, presbyteri	Memoria (III cl.)
20	*S. Hieronymi Emiliani,* ~~*presbyteri*~~	
21	*S. Laurentii de Brundusio, presbyteri et Eccl. doct.*	
22	S. Mariae Magdalenae	Memoria (III cl.)
23		
24		
25	S. IACOBI, APOSTOLI	Festum (II cl.)
26	S. Annae, Matris B. M. V.	Memoria (III cl.)
27		
28		
29	S. Marthae	Memoria (III cl.)
30		
31	S. Ignatii de Loyola, presbyteri	Memoria (III cl.)

AUGUSTUS

1		
2	S. Alfonsi Mariae de' Liguori, episc. et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
3		
4	S. Dominici, presbyteri	Memoria (III cl.)
5	*In Dedicatione basilicae S. Mariae*	
	Ss. Xysti II, papae, et sociorum, martyrum (*e die 6 augusti*)	
6	IN TRANSFIGURATIONE DOMINI	Festum (II cl.)
7	*S. Caietani, presbyteri*	

8	S. Ioannis Mariae Vianney, presbyteri	Memoria (III cl.)
9		
10	S. LAURENTII, DIACONI ET MARTYRIS	Festum (II cl.)
11		
12	S. Clarae, virginis	Memoria (III cl.)
13	*Ss. Pontiani, papae, et Hippolyti, martyrum*	
14		
15	IN ASSUMPTIONE B. M. V.	Sollemnitas (I cl.)
16	S. Ioachim, Patris B. M. V.	Memoria (III cl.)
17		
18		
19	*S. Ioannis Eudes, presbyteri*	
20	S. Bernardi, abbatis et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
21	*S. Ioannae Franciscae de Chantal, religiosae*	
22	*Immaculati Cordis B. M. V.*	
23		
24	S. BARTHOLOMAEI, APOSTOLI	Festum (II cl.)
25	*S. Ludovici*	
26		
27	*S. Ioseph Calasanz, presbyteri*	
28	S. Augustini, episcopi et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
29	In Passione S. Ioannis Baptistae, martyris	Memoria (III cl.)
30	*S. Rosae de Lima, virginis*	

SEPTEMBER

1		
2	*S. Stephani Hungariae*	
3	S. Pii X, papae	Memoria (III cl.)
4		
5		
6		
7		
8	IN NATIVITATE B. M. V.	Festum (II cl.)
9		
10		
11		
12		
13		
14	IN EXALTATIONE S. CRUCIS	Festum (II cl.)
15	B. M. V. Perdolentis	Memoria (III cl.)
16	Ss. Cornelii et Cypriani, martyrum	Memoria (III cl.)
17		
18		

19	*S. Ianuarii, episcopi et martyris*	
20		
21	S. MATTHAEI, APOSTOLI ET EVANGELISTAE	Festum (II cl.)
22		
23		
24		
25		
26		
27	*Ss. Cosmae et Damiani, martyrum*	
28	*S. Wenceslai, martyris*	
29	Ss. MICHAELIS, GABRIELIS ET RAPHAELIS, ARCHANGELORUM	Festum (II cl.)
30	S. Hieronymi, presbyteri et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)

OCTOBER

1		
2	Ss. Angelorum Custodum	Memoria (III cl.)
3	S. Teresiae a Iesu Infante, virginis	Memoria (III cl.)
4	S. Francisci Assisiensis	Memoria (III cl.)
5		
6	*S. Brunonis, presbyteri*	
7	B. M. V. a Rosario	Memoria (III cl.)
8	*S. Birgittae, religiosae*	
9	*Ss. Dionysii, episcopi, et sociorum, martyrum* *S. Ioannis Leonardi, presbyteri*	
10		
11		
12		
13		
14	*S. Callisti I, papae et martyris*	
15	S. Teresiae de Avila, virginis	Memoria (III cl.)
16	*S. Hedwigis, religiosae*	
17	*S. Margaritae Mariae Alacoque, virginis*	
18	S. LUCAE, EVANGELISTAE	Festum (II cl.)
19	*Ss. Isaac Jogues, presbyteri, et sociorum, martyrum*	
20	*S. Ioannis de Kęty, presbyteri*	
21		
22		
23	*S. Antonii Mariae Claret, episcopi*	
24		
25		
26		
27		

28	SS. SIMONIS ET IUDAE, APOSTOLORUM	Festum (II cl.)
29		
30		
31		

NOVEMBER

1	OMNIUM SANCTORUM	Sollemnitas (I cl.)
2	IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM	
3	*S. Martini de Porres, religiosi*	
4	S. Caroli Borromeo, episcopi	Memoria (III cl.)
5		
6		
7		
8		
9	IN DEDICATIONE BASILICAE LATERANENSIS	Festum (II cl.)
10		
11	S. Martini Turonensis, episcopi	Memoria (III cl.)
12	*S. Martini I, papae et martyris*	
13		
14	S. Iosaphat, episcopi et martyris	
15	*S. Alberti Magni, episcopi et Eccl. doctoris*	
16	*S. Gertrudis, virginis*	
17		
18	*In Dedicatione basilicarum Ss. Petri et Pauli, apostolorum*	
19	S. Elisabeth Hungariae, religiosae	Memoria (III cl.)
20		
21	In Praesentatione B. M. V.	Memoria (III cl.)
22	S. Caeciliae, virginis et martyris	Memoria (III cl.)
23	*S. Clementis I, papae et martyris* *S. Columbani, abbatis*	
24	S. Ioannis a Cruce, presbyteri et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
25		
26		
27		
29		
30	S. ANDREAE, APOSTOLI	Festum (II cl.)

Dominica ultima « per annum »:

D. N. I. C. UNIVERSORUM REGIS — Sollemnitas (I cl.)

DECEMBER

1		
2		
3	S. Francisci Xavier, presbyteri	Memoria (III cl.)
4	*S. Petri Chrysologi, episcopi et Eccl. doctoris*	
5		
6	*S. Nicolai, episcopi*	
7	S. Ambrosii, episcopi et Eccl. doct.	Memoria (III cl.)
8	IN CONCEPTIONE IMMACULATA B. M. V.	Sollemnitas (I cl.)
9		
10		
11	*S. Damasi I, papae*	
12		
13	S. Luciae, virginis et martyris	Memoria (III cl.)
14		
15		
16	*S. Eusebii Vercellensis, episcopi*	
17		
18		
19		
20		
21	S. THOMAE, APOSTOLI	Festum (II cl.)
22		
23		
24		
25	IN NATIVITATE DOMINI	Sollemnitas (I cl.)
26	S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS	Festum (II cl.)
27	S. IOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTAE	Festum (II cl.)
28	Ss. INNOCENTIUM, MARTYRUM	Festum (II cl.)
29	De die V infra octavam	
	S. Thomae Becket, episcopi et martyris	
30	De die VI infra octavam	
31	De die VII infra octavam	
	S. Silvestri I, papae	

Dominica infra octavam Nativitatis:
S. FAMILIAE IESU, MARIAE, IOSEPH — Festum (II cl.)

COMMENTARIUS
IN ANNUM LITURGICUM INSTAURATUM, IN NOVUM CALENDARIUM GENERALE ET IN LITANIAS SANCTORUM

CURA ET STUDIO

« CONSILII AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA »

COMMENTARIUS IN ANNUM LITURGICUM INSTAURATUM

INTRODUCTIO

Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* agens in capite V de Anno liturgico, eius momentum in primis exponit (SC, art. 102-106), ac deinde mandat ut recognitioni subiciatur iuxta normas in ipsa Constitutione statutas (art. 107-111): *Pia Mater Ecclesia suum esse ducit Sponsi sui divini opus salutiferum, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrare ... Mysteria Redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo praesentia reddantur, fidelibus aperit, qui ea attingant et gratia salutis repleantur* (art. 102). Ad hunc finem plene obtinendum praecipitur ut *Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur ad fidelium pietatem debite alendam in celebrandis mysteriis Redemptionis christianae, maxime vero mysterio paschali* (art. 107).

Recognitio anni liturgici inseritur in instaurationem liturgicam generalem, de qua pariter ipsa Constitutio conciliaris leges condidit: *De singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore instauratione liturgica et ex indultis passim concessis promanans* (art. 23). Ad fidelium pietatem debite alendam, ritus anni liturgici, sicut et ritus Missae et Sacramentorum, debent nobili simplicitate fulgere, esse brevitate perspicui et repetitiones inutiles vitare, neque generatim multis indigere explanationibus (cfr. art. 34).

Hoc spiritu atque principiis ductum a Constitutione statutis, « Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » recognitionem Proprii de Tempore ac Proprii de Sanctis iam anno 1964 aggressum est. Mense octobri 1966, exemplar novi Calendarii iam in promptu erat ut proponeretur Patrum iudicio, in eorum septima sessione plenaria. Patres illud probaverunt die 12 octobris; die autem 17 aprilis 1967 exemplar a Praeside « Consilii » Summo Pontifici traditum est.

Caput I

PROPRIUM DE TEMPORE

Sacra recordatio praecipua, qua Ecclesia *statis diebus per anni decursum* Christi *opus salutiferum* celebrat, est *recordatio* hebdomadaria et annua mysterii paschalis: *In unaquaque hebdomada, die quam Dominicam vocavit, memoriam habet Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, sollemnitate maxima Paschatis, una cum beata ipsius Passione, frequentat* (SC, art. 102).

Universus mysterii Christi cursus per anni circulum, ab Incarnatione et Nativitate ad eius adventum gloriosum, culmen habet in hac duplici celebratione hebdomadaria et annua Paschae. Ad quod dilucide manifestandum recognitio Proprii de Tempore contendit.

I. Mysterii paschalis celebratio

1. **Celebratio hebdomadaria mysterii paschalis**

Constitutio liturgica ad exitum ducit seu perficit Summorum Pontificum S. Pii X, Pii XII, Ioannis XXIII incepta ad restituendam liturgiam diei dominicae in pristinam dignitatem *primordialis diei festi, fundamenti et nuclei totius anni liturgici* (art. 106).

Multum adhuc per catechesim faciendum restat, ut hoc pietati fidelium proponatur et inculcetur: attamen aucta copia orationum, usus novi Ordinis lectionum, per quem, *intra praestitutum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum Sanctarum populo legetur* (SC, art. 51), normarum observantia S.R.C. Instructionis *De cultu mysterii eucharistici* quoad celebrationem dominicam memorialis Domini (art. 25-28), desiderio Concilii magis favebunt quam ipsa rubricarum instauratio efficere posset.

Verumtamen animadvertere fas est dominicas temporis paschalis, ob novam anni liturgici instaurationem, eodem momento frui ac dominicas Adventus et Quadragesimae: ideoque saltem viginti dominicas quotannis praecedentiam habere etiam super sollemnitates: has vero, praesertim proprias alicuius particularis territorii aut familiae religiosae, multum imminutas esse. Ita in praxim praescriptum conciliare deducitur: *aliae celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi* (scil. dominicae) *ne praeponantur* (SC, art. 106).

Quamquam dies liturgicus decurrit, sicut dies astronomicus, a media nocte ad mediam noctem, Ecclesia quoad dominicam usum biblicum servavit computandi initium diei a vespere: *factum est vespere et mane,*

dies primus (*Gen.* 1, 5): nam iuxta verba S. Leonis Magni dominica est *dies resurrectionis dominicae, cui a vespera sabbati initium constat ascribi.*[1]

Haec est vera ratio cur primae Vesperae dominicae semper celebratae sint, et cur Sedes Apostolica, ad nostrorum temporum necessitudini consulendum, Conferentiis Episcopalibus petentibus facultatem tribuat ad Vesperas sabbati anticipandi Missam insequentis diei dominicae.

2. Mysterii paschalis annua celebratio

Iam Pius Papa XII providit instaurandae annuae mysterii paschalis celebrationi magna ex parte a. 1951 et a. 1955; nunc autem de perficiendo opere agitur.

A) Festa paschalia

1) *Triduum paschale*

Ut fideles recte intellegant Triduum sacrum non sollemnitatis Paschae praeparationem constituere, sed ipsum, iuxta verba S. Augustini, esse vere *sacratissimum triduum crucifixi, sepulti et suscitati,*[2] hoc triduum initium sumet a Missa vespertina in Cena Domini, quae *beatae Passionis* celebrationem inchoat.

Quo autem melius appareat Christi Pascha ex eius morte constare et resurrectione, id est e novitate vitae a morte redemptrice fluente, Triduum sacrum exinde *Triduum paschale* vocabitur. Ceterum Concilium ipsum quodammodo hoc vocabulum consecravit cum ieiunium feriae VI in Passione Domini et Sabbati sancti *ieiunium paschale* appellavit (SC, art. 110).

2) *De Vigilia paschali*

Nova recognitio Hebdomadae sanctae perpauca mutavit in ritibus feriae V in Cena Domini et feriae VI in Passione Domini. Quoad vero Vigiliam paschalem, totius anni liturgici culmen, horam celebrationis ulterius determinavit et aliquot ritus restauravit.

Tota celebratio Vigiliae paschalis peragenda est noctu, ita ut aut non incipiatur ante initium noctis, aut finiatur ante diluculum dominicae. Inter hos temporis fines, hora magis idonea ad concursum communitatis localis praeferatur.

Quoad ritus, innovatio praecipua habetur in translatione celebrationis baptismatis post Evangelium et homiliam in Missa; ita ut liturgia verbi Dei, quae lectiones ex Vetere et Novo Testamento complectitur, fideles

[1] S. Leo Magnus, *Epistola* 9, 1 ad Dioscorum: PL 54, 626.
[2] S. Augustinus, *Epistola* 55, 14: PL 33, 215.

qui audiunt interius disponat ad sacramenta initiationis christianae magna cum fide celebranda, et baptismus, quod in morte et resurrectione Christi Iesu confertur (*Rom.*, 6, 3-11), post nuntium resurrectionis ipsius celebretur.

Praeterea ritus benedictionis ignis, processionis cerei paschalis et cantus Praeconii paschalis breviati sunt, quo longius tempus lectionibus concedatur, quas inter, liturgia instaurata multas pericopas ex Vetere Testamento excerptas praebet (quarum saltem duae sunt de praecepto legendae).

Liturgia baptismalis, una cum litania Sanctorum a qua initium sumit, et ipsa brevior facta est, iuxta novum Ordinem baptismum conferendi. Post professionis fidei baptismalis renovationem a tota communitate factam, ad offertorium Missae proceditur.

3) *Tempus paschale*

Instauratio temporis paschalis mutationes quae sequuntur secumfert.

Temporis paschalis spatium. — Structura nativa temporis paschalis est ut spatio quinquaginta dierum perduret: *Deus, qui paschale sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri.*[3] Incipit ergo Vigilia paschali et explicit dominica Pentecostes, sicut testatur traditio antiqua et universalis Ecclesiae, quae semper ut unum diem festum celebravit *spatium Pentecostes,*[4] *septem hebdomadas sacrae Pentecostes.*[5] Et haec est ratio cur ritus orientales finem ponant tempori paschali die dominica Pentecostes, de sero. Et hic quidem mos erat liturgiae romanae, S. Leonis Magni temporibus. Cum vero dies festus Pentecostes unice ut dies anniversarius descensus Spiritus Sancti in Apostolos celebrari coeptus est (saec. VII) et unio vitalis diei Pentecostes cum tempore paschali in oblivionem cecidit, ipse dies festus Pentecostes octava est ornatus.

Investigatio de mysterio paschali quae nostra aetate facta est, comperire permisit intimum nexum inter donum Spiritus Sancti et resurrectionem et ascensionem Domini, ita ut a multis optaretur suppressio octavae Pentecostes: quod factum est.

Disciplina quinquaginta dierum. — Quo melius appareat quinquaginta dies temporis paschalis quasi *unus dies* esse vel *magna dominica,* iuxta S. Athanasii dictum,[6] dominicae temporis paschalis exinde minime nominabuntur *Dominicae post Pascham* sed *Dominicae Paschae,* sic Dominica in albis erit *Dominica secunda Paschae,* aliae vero *Dominica tertia, quarta Paschae,* etc.

[3] *Sacramentarium Gelasianum* (ed. Mohlberg), n. 637.
[4] TERTULLIANUS, *De oratione,* 23, 2: PL 1, 1299.
[5] S. BASILIUS, *De Spiritu Sancto,* 27, 66: PG 32, 191.
[6] S. ATHANASIUS, *Epist. Festal.* 1 (a. 329): PG 26, 1366.

Sollemnitas Ascensionis Domini celebratur quadragesimo die post Pascha; attamen ubi non est de praecepto servanda, transfertur in sequentem dominicam, scilicet ad *Dominicam VII Paschae.*

Octava Pentecostes, ut dictum est, supprimitur; attamen feriae currentes inter sollemnitatem Ascensionis et sollemnitatem Pentecostes peculiare momentum acquirunt: formulariis enim propriis ditantur quibus in mentem revocantur promissiones Christi relate ad effusionem Spiritus Sancti.

Iuxta novam Missarum vigiliarum disciplinam, Missa *In Vigilia Pentecostes* exinde non celebrabitur mane sabbati; celebrari tantum potest vespere ut prima Missa diei Pentecostes.[7]

Textus. — Post octavam Paschae, quae textus prouti nunc exstant servat, unaquaeque feria temporis paschalis suam habebit orationem, seu collectam propriam.

Toto tempore paschali legentur Actus Apostolorum, iuxta antiquum morem, teste S. Ioanne Chrysostomo,[8] necnon S. Augustino dicente: *Ipse liber incipit legi a Dominico Paschae, sicut se consuetudo habet Ecclesiae.*[9] Pariter fiet lectio Evangelii secundum Ioannem: quae lectio tamen initium habet media Quadragesima.

B) Tempus praeparationis seu Quadragesima

Constitutio de sacra Liturgia de Quadragesima statuit quod *pleniore in luce ponatur duplex indoles temporis quadragesimalis,* id est indoles baptismalis et indoles paenitentialis (art. 109).

Praesertim in reformatione Quadragesimae voluntas restituendi liturgiae suam nobilem simplicitatem et eam aptandi captui fidelium exegit ut partes minoris momenti remitterentur, quo plenius praecipuae res vim suam caperent.

1. *Spatium temporis praeparationis*

Quadraginta dierum spatium. — Indoles nativa Quadragesimae, secundum vim ipsius verbi, posita est in paenitentia totius communitatis et singulorum, per quadraginta dies perducta.

In determinando spatio quadraginta dierum, ut christifideles se disponant ad sollemnitatem paschalem celebrandam, magnum pondus certo certius habuit typologia biblica quadraginta dierum, id est ieiunium quadraginta dierum D.N.I.C.; tempus quadraginta annorum a populo Dei

[7] S. R. C. Instructio de cultu mysterii eucharistici, *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 28: A.A.S. (1967) pp. 556.

[8] S. Ioannes Chrysostomus, *In Actus Apostolorum, Sermo* IV, 5: PG 51, 103.

[9] S. Augustinus, *Sermo* 315, 1: PL 38, 1426.

in deserto transactum; tempus quadraginta dierum quo Moyses in monte Sina fuit; quo Goliath Philisthaeus stetit contra Israel, i. e. usque dum David contra illum processit, illumque prostravit et occidit; quo Elias in fortitudine subcinericii panis et aquae pervenit ad montem Dei Horeb; quo Ionas paenitentiam Ninivitis praedicavit.

Patrum tempore, quadraginta dies Quadragesimae numerabantur a dominica prima Quadragesimae usque ad feriam V in Cena Domini, ut legitur in sermonibus S. Leonis Magni. Missale et Breviarium Romanum memoriam et usum huius rationis computandi Quadragesimam usque adhuc servaverunt.

Attamen usus inchoandi ieiunium quadragesimale inde a feria IV ante dominicam primam Quadragesimae antiquissimus est (saec. VI-VII), quinimmo ritus impositionis cinerum illo die statutus effecit, ut feria IV Cinerum in communi fidelium praxi vulgaretur magis quam plures alii dies sollemniores.

Et haec est ratio cur visum est nihil in hac re innovandum esse ad reddendam sacrae « Quadragesimae » suam plenitudinem symbolicam, sicut de « Pentecoste » paschali factum est.

Tempus Septuagesimae et Passionis. — Si initium Quadragesimae feria IV Cinerum servatum est propter suam indolem popularem, suppressio temporis Septuagesimae, quandam amplificationem antecedentem temporis quadragesimalis constituentis, necnon temporis Passionis temperamentum, eo quod quandam abruptionem efficit, sacram Quadragesimam in pristinam unitatem et momentum restituet.

Tempus Septuagesimae aboletur, eo quod nihil proprium prae se ferebat et in Officio divino partes « per annum » sumebat. Difficillimum erat munus de eo loqui ad populum (quid admodum sonant voces Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima?), et praesertim novitatis notam detrahebat liturgiae paenitentiali Quadragesimae, antequam haec inciperet.

Textus proprii harum trium Dominicarum alibi ponentur in Missali romano; *Alleluia* cantabitur usque ad feriam IV Cinerum exclusive.

Tempus Passionis temperatur ad tuendam interiorem unitatem Quadragesimae, et dominica quae nunc dicitur I Passionis erit Dominica V Quadragesimae, sicut in ritu ambrosiano; dominica vero subsequens, qua Hebdomada sancta incipit, erit *Dominica in Palmis de Passione Domini.*

Crux et imagines sanctorum exinde non cooperientur, exceptis regionibus, ubi Conferentiae Episcopales illum morem servari utile esse decernant; pietas fidelium diebus posterioribus Quadragesimae ad Christi Passionem spectandam dirigatur.

Hebdomada sancta. — Nomine Hebdomadae sanctae ultimi dies Quadragesimae veniunt necnon initium Tridui paschalis.

Hebdomada sancta initium sumit a processione, quae Iesu Christi ingressus messianici in Ierusalem memoriam facit et a Missa in qua legitur

Passio secundum unum ex synopticis Evangeliis; nam lectio Passionis secundum Ioannem feriae VI in Passione Domini reservatur.

Ubi condiciones locorum impediunt quominus processio palmarum per civitatis vias evolvatur, commemoratio ingressus Iesu Christi in Ierusalem ritu simpliciore celebrari potest; quinimmo haec memoria, saltem per cantum ad introitum, in omnibus Missis exinde celebrabitur.

Feriis III et IV Hebdomadae sanctae non amplius locum habet lectio Passionis Domini; Evangelium Missae harum feriarum desumitur ex dictis et factis Domini ultima hebdomada ante Passionem.

Feria V Hebdomadae sanctae dies proprius remanet quo Episcopus, a suo presbyterio circumdatus, olea sacra benedicit et chrisma conficit.

2. *De indole paenitentiali et baptismali Quadragesimae*

In liturgia romana numquam defuerunt textus paenitentiales et lectiones quae praecipua catecheseos praebaptismalis elementa praeberent. Attamen hi textus iam dudum e Missis dominicis ad Missas feriales translati sunt, et nonnulli ex iis aboliti (praesertim orationes pro catechumenis). Cum Concilium decreverit ut indoles baptismalis et paenitentialis temporis Quadragesimae pleniore in luce ponatur, ad hos textus attentio instauratorum conversa est.

Quoad lectiones: lectiones pro Missis dominicarum selectae sunt ea mente ut fidelibus praebeantur prophetarum invitationes ad paenitentiam, et, quarto quoque anno, synthesis totius mysterii salutis; et praecipui loci Evangelii resumerentur, qui, primaevis saeculis, catechumenis legebantur ad illos praeparandos ad baptismum. Hae lectiones ad omnes fideles diriguntur; nam, sacra Quadragesima perdurante, tota Ecclesia una cum baptizandis, mysterium suae initiationis christianae memorat.

Quoad orationes: instauratio orationum pro catechumenis nullam difficultatem habet; recognitio vero precum paenitentialium postulat ut illae aptentur hodiernis adiunctis quoad paenitentiam, ad mentem Constitutionis Apostolicae *Paenitemini* (1966). Praefatio pro dominicis Quadragesimae anno 1968 promulgata, viam ostendit qua huiusmodi recognitio facta sit.

II. Manifestationis Domini celebratio

Licet Ecclesia celebret, decursu anni, mysterium paschale, praesertim per hebdomadariam memoriam dominicam et quotidie per celebrationem memorialis eucharistici, tamen, iuxta monitum Concilii, *totum Christi mysterium per anni circulum explicat, ab Incarnatione et Nativitate usque ... ad exspectationem beatae spei et adventus Domini* (SC, art. 102).

Memoriam manifestationis Domini ab Ecclesia praecipue celebratur temporibus liturgicis Adventus et Nativitatis. Recognitio autem huius partis anni liturgici magnam rerum commutationem minime postulabat. Oportuit tantum simplicius aliquid reddere, copiam textuum euchologicorum augere, unamquamque feriam huiusmodi temporis propria oratione seu collecta ditare.

1. Tempus Nativitatis

Limites. — Tempus Nativitatis initium sumit a Missa *in vigilia Nativitatis,* quae est Missa vespertinis horis diei 24 decembris ad libitum celebranda, ut supra dictum est de vigilia Pentecostes, et finem habet cum dominica post diem 6 ianuarii occurrente.

De celebratione vero vigiliarum animadvertendum est quod notio medioevalis vigiliae, idest diei paenitentialis ante festum, in instauratione liturgica omnino abolita est. Si excipitur Vigilia paschalis, quae celebrari debet decursu sanctissimae noctis, nomine *Missa in vigilia* venit exinde Missa quae celebrari potest horis vespertinis, modo festivo, sive ante sive post primas Vesperas alicuius sollemnitatis.

Proinde Missam in vigilia habent tantummodo sollemnitates Pentecostes et Nativitatis Domini in Proprio de Tempore, necnon Nativitatis S. Ioannis Baptistae, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Assumptionis B. M. V. in Proprio Sanctorum.

Disciplina huius temporis. — Sollemnitas Nativitatis Domini retinet ex traditione, post Missam de vigilia, tres Missas in nocte, in aurora et in die.

Dominica infra octavam Nativitatis celebratur festum *sanctae Familiae.*

Infra octavam Nativitatis celebrantur festa S. Stephani, S. Ioannis Evangelistae necnon Ss. Innocentium.

Die octava Nativitatis (1 ianuarii) celebratur, iuxta antiquam consuetudinem romanam, cuius testimonium usque nunc habetur in textibus Missae et Officii, *Sollemnitas sanctae Dei Genetricis Mariae.*

Dominica inter dies 2 et 5 ianuarii occurrens denominatur *Dominica II post Nativitatem.*

Festum SS. Nominis Iesu, a. 1721 institutum, supprimitur, eo quod

impositionis Nominis Iesu memoria iam habetur in evangelio Missae diei 1 ianuarii.

In Epiphania Domini, die 6 ianuarii, nihil innovatur. Attamen ubi haec sollemnitas non est de praecepto servanda, transfertur ad dominicam post octavam Nativitatis (id est a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrente).

Dominica post diem 6 ianuarii, festum Baptismatis Domini celebratur. Quando vero hoc festum occurrit una cum sollemnitate Epiphaniae ad hanc dominicam translata, festum Baptismatis Domini, illis in locis, eo anno omittitur.

2. Tempus Adventus

Ratio seu mens huius temporis. — Dum tempus paschale et Quadragesima, necnon Nativitas Domini et Epiphania omnibus ritibus communia sunt, tempus Adventus Occidentis proprium est. Institutum est autem ut fideles ad celebrationem Nativitatis praepararentur, sed brevi sensum quoque eschatologicum assumpsit: duplicem enim adventum Domini recolit, adventum nempe apud homines et adventum in fine temporum.

In instauratione liturgica, Adventus suum temporis spatium servat, nempe quattuor hebdomadarum, attamen non amplius habetur tantum ut tempus paenitentiale; quinimmo tempus est laetae exspectationis. Si vero in dominicis huius temporis non dicitur *Gloria,* hoc non fit eadem ratione ac tempore Quadragesimae, sed ut hymnus angelicus in nocte Nativitatis quasi quid novum resonet.

Disciplina huius temporis. — Quamquam textus liturgici Adventus huic tempori notam unitatis attribuant, quae elucet praesertim lectione fere quotidiana Isaiae prophetae, attamen Adventus in duas partes bene distingui potest, quarum quaeque suum peculiare momentum habet, a duabus novis praefationibus nunc optime enuntiatum.

A dominica I Adventus ad diem 16 decembris, liturgia aspectum eschatologicum Adventus exprimit, animos impellens ad exspectationem secundi Christi adventus.

A die vero 17 ad 24 decembris habentur tum in Missa tum in Officio formularia unicuique diei propria, ut animi magis directe ad Nativitatem Domini celebrandam praeparentur.

Dominica autem IV Adventus ex lectionibus Missae apparet quasi dominica Patrum Veteris Testamenti et B. M. V., in exspectatione Nativitatis Domini.

III. Cyclus « per annum »

1. Tempus « per annum »

Praeter tempora celebrationi mysterii paschalis et adventus Christi inter homines dicata, trigintatres vel trigintaquattuor hebdomadae per circulum anni remanent et cyclum constituunt, quod communiter *tempus « per annum »* nuncupatur.

Hoc tempus usque adhuc in duas partes dividebatur quarum spatium per singulos annos variabatur iuxta diem Paschae: distinguebatur enim tempus post Epiphaniam et tempus post Pentecosten.

Textus Missarum dominicarum post Epiphaniam, qui propter supervenientem Quadragesimam non legebantur, ante ultimam dominicam post Pentecosten resumebantur.

Abhinc vero trigintaquattuor hebdomadae « per annum » quid unum constituent: prima hebdomada incipit post festum Baptismatis Domini, id est feria II quae sequitur dominicam post diem 6 ianuarii. Hebdomadae continuantur usque ad feriam IV Cinerum. Feria II post Pentecosten resumuntur eae hebdomadae quae veniunt post ultimam ante Quadragesimam celebratam, usque ad dominicam I Adventus.

Quaevis dominica orationes, lectiones et cantus propria habet. Diebus vero infra hebdomadam orationes et cantus sumi possunt ad libitum ab uno ex trigintaquattuor formulariis Missae.

2. Sollemnitates mobiles « per annum »

Sollemnitates mobiles Domini, quae tempore « per annum » occurrunt, fere nullam mutationem subierunt: Dominica I post Pentecosten fit sollemnitas Ss.mae Trinitatis; feria V subsequente sollemnitas Ss.mi Corporis Christi celebratur, et feria VI hebdomadae sequentis sollemnitas Sacr.mi Cordis Iesu.

Sollemnitas SS. Corporis Christi est etiam celebratio Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., ut clare patet e textibus Missae et Officii necnon ex Bulla Papae Urbani IV, qua festum hoc instituebatur (a. 1264).

Ubi haec sollemnitas non est de praecepto servanda, transfertur ad dominicam post SS.mam Trinitatem.

Sollemnitas Sacr.mi Cordis Iesu statuta feria VI, ut antea, remanet, ex eo quod feria VI ut dies memorialis Passionis Domini habetur, attamen textus liturgici ad mentem Litt. Encycl. *Haurietis aquas* Pii Papae XII (a. 1956) recogniti sunt.

Ultima dominica per annum fit sollemnitas D. N. I. C. universorum Regis, loco festivitatis institutae a Pio Papa XI, a. 1925 et ultimae dominicae octobris assignatae. Hac ratione, momentum quoque eschatologicum huius dominicae meliore in luce ponitur.

3. **Rogationes et Quattuor Tempora**

Variis denique anni temporibus, ut legitur in Constitutione de sacra Liturgia, *iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit, per pias animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, paenitentiae et misericordiae opera* (art. 105). Inter huiusmodi celebrationes certo tempore recurrentes enumerare oportet Litanias maiores (25 aprilis), Litanias minores seu Rogationes et Quattuor Tempora.

Rogationes. — Litania maior supprimitur eo quod originem ducebat a ritu stricte locali Ecclesiae Romanae: institutione huiusmodi processionis enim Romani Pontifices substituere voluerunt aliquo ritu christiano antiquum morem a paganorum cultu acceptum.

Rogationes, in Gallia institutae a S. Mamerto, Viennensi episcopo, circa a. 475, originem duxerunt ab obsecrationibus Deo factis una cum ieiunio ad repellendas calamitates. Deinde processiones lustrales temporis verni factae sunt ad obtinendum a Domino ut fructus terrae dare et conservare dignaretur.

Ex hoc patet quod Rogationes celebrari nequeunt iisdem diebus ubique terrarum, neque eundem sensum seu momentum habere possunt pro urbibus et campis; ergo earum disciplina Conferentiis Episcopalibus committitur.

Quattuor Tempora. — Quattuor Tempora initio fuerunt hebdomadae gratiarum actioni dicatae pro fructibus terrae, quorum primitiae Deo dicabantur. Fidelibus suadebatur ut, sicut et in Quadragesima, hos dies santificarent ieiunio, eleemosyna et orationibus. Cum in his hebdomadibus prae aliis intensius vitam spiritualem fideles alerent, opportunum visum est deinde sacras Ordinationes his diebus habere.

Sicut de Rogationibus dictum est, etiam disciplina Quattuor Temporum Conferentiis Episcopalibus committitur et Missae propriae Quattuor Temporum non amplius in Proprio de Tempore, sed inter Missas votivas, locum habebunt.

His temporibus quibus omnes homines gravia problemata pacis, iustitiae, famis recte sentiunt, cyclus paenitentiae et christianae caritatis cum quattuor anni temporibus connexus in suam primaevam virtutem oportet reviviscat.

Expedit ergo ut in quavis regione, perspectis rerum adiunctis necnon locorum consuetudinibus, apta via inveniatur ut liturgia Quattuor Temporum servetur et caritatis ministerio dedicetur.

IV. De sollemnitate Paschae certae dominicae assignanda

Aliqui mirari possunt quod annus liturgicus instauretur quin sollemnitas Paschae certae dominicae assignetur.

Notare tamen liceat plures annos necessario requiri ad hanc sollemnitatem certae dominicae assignandam, quamvis ab omnibus christianis hoc optetur. Decrevit enim Concilium Oecumenicum Vaticanum II ut hoc non fiat nisi assentientibus iis quorum interest, praesertim fratribus ab Apostolicae Sedis communione seiunctis (*Appendix ad Const. liturg.*).

Iam nunc qui Ecclesiis Orientalibus praesunt in eorum Synodis quaestionem posuerunt de hac re; longa ergo via adhuc superesse videtur, antequam ad commune consilium perveniatur. Ecclesia orthodoxa praesertim ante suum universale Concilium, quod nunc momentum praeparationis tantummodo vivit, certo certius nihil de hac re decernet.

Dum omnes exspectamus hanc optatam inter omnes christianos conventionem de unico die, quo sollemnitas Paschae ab omnibus celebretur, Concilium Vaticanum II suggessit, in Decreto *De Ecclesiis orientalibus catholicis,* ut interim, ad unitatem inter christianos in eadem regione vel natione degentes fovendam, Patriarchae vel Supremae in loco Auctoritates ecclesiasticae, unanimi consensu et collatis consiliis cum iis quorum interest, de Pascha eadem die dominica celebranda conveniant (art. 20).

Hoc animo catholici Graeci et maior pars Aegyptiorum, sive ritus latini sive ritus orientalis, necnon Aethiopes, decreverunt Pascham ad interim celebrandam esse iuxta antiquum calendarium iulianum ante reformationem.[10]

[10] Cf. Mandatum Patriarchae Maximi IV de unificatione celebrationis Paschae in Aegypto, diei 1 ian. 1967.

Caput II

PROPRIUM DE SANCTIS

Proprii de Sanctis instauratio duabus viis facienda erat: revisione calendarii et revisione modi quo fit celebratio festorum, sive in Missa sive in Officio.

I. De Calendarii recognitione

Calendarium natura sua est mutabile et necessario novae celebrationes interdum ipsi inserendae sunt. Fatendum est tamen, postremis hisce saeculis, numerum festorum plus aequo auctum esse. Calendarium enim a S. Pio V instauratum 65 tantum festa ritus duplicis recensebat (tunc festa nondum in varias classes dispertiebantur); Codex autem rubricarum (1960) 21 festa I classis, 31 gradu II classis et 180 gradu III classis, praeter 106 commemorationes, referebat. Festa ita aucta sunt, in primis quia interea plures viri et feminae, sanctissima vita functi, albo Sanctorum adiecti sunt; v. g. paulo ante reformationem S. Pii V ad Dominum transierant S. Franciscus Xavier (1552) et S. Ignatius de Loyola (1556) ac paulo post S. Teresia de Avila (1582) et S. Carolus Borromeo (1584). Attamen ob alias etiam causas nonnulla festa introducta sunt: principes enim christiani et familiae religiosae saepius a Summis Pontificibus petierunt ut suae gentis vel religionis Sancti ab universa Ecclesia celebrarentur; festa devotionis insuper multiplicata sunt; immo, ante reformationem S. Pii X plura festa in calendarium libenter introducta et accepta sunt, ut minueretur Matutinum dominicale et feriale, in quo respective 18 vel 12 psalmi integri (i. e. absque divisionibus) dicendi erant, dum Matutino festorum 9 breves psalmi assignabantur.

Proprium ergo Sanctorum nimis auctum est, detrimento Proprii de Tempore, quo mysterium salutis celebratur. Initio huius saeculi formularia Missarum dominicarum per annum et feriarum temporis quadragesimalis raro adhibebantur. Nonnulli Summi Pontifices (v. g. Benedictus XIV, S. Pius X, Pius XII) animadverterunt et statuerunt calendarium restaurandum et festa imminuenda esse, sed propositum suum, varias ob causas, perficere nequiverunt.

Demum Concilium Oecumenicum Vaticanum II hac de re statuit: *Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant, plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes* (SC, art. 111).

Oportuit autem principia statuere quibus, ad mentem Constitutionis de sacra Liturgia, recognitio fieret festorum Sanctorum in novo calendario conficiendo. Haec ergo recognitio his principiis innixa est:

a) minuatur numerus festorum devotionis;

b) critico examini subiciantur ea quae nobis tradita sunt de Sanctis in calendario anni 1960 inscriptis;

c) seligantur Sancti maioris momenti;

d) recognoscantur dies quibus festum uniuscuiusque Sancti statuitur;

e) calendarium magis universale efficiatur, ita ut, quantum fieri potest, Sanctos ex omnibus populis et aevis exhibeat.

1. Festorum devotionis imminutio

Devotionis festa ea sunt quae celebrant non factum mysterii salutis, sed quamdam faciem, seu rationem, alicuius mysterii, vel titulum quo Dominus aut beata Virgo Maria aut Sanctus invocatur. « Haec festa, inde a media Aetate, e privata devotione in publicum Ecclesiae cultum inducta sunt ».[11] Etenim hi gressus fere semper conspici possunt: cum alicuius privatae devotionis argumentum a legitima auctoritate bonum agnitum est, statim regio vel religiosa familia, in qua haec devotio orta est, petiit ut festo liturgico a dioecesi vel religione recoleretur; demum Summus Pontifex, pluribus petitionibus permotus, festum ad universam Ecclesiam extendit.

Pleraque devotionis festa recenter (i. e. saeculo XVII exeunte) a calendariis particularibus in calendarium generale relata sunt. Breviarium et Missale instaurando, S. Pius V duo tantum devotionis festa retinuit: festa nempe SS. Corporis Christi (1264) et SS. Trinitatis (1334). His tribus postremis saeculis 16 devotionis festa calendario generali adscripta sunt, e quibus quattuor gradu I classis, septem gradu II classis: SS. Nominis Mariae (1683), B. M. V. a Mercede (1696), B. M. V. a Rosario (1716), SS. Nominis Iesu (1721), B. M. V. de Monte Carmelo (1726), Compassionis B. M. V. (1727), Septem Dolorum B. M. V. (1814), Pret.mi Sanguinis D. N. I. C. (1849), Sacr.mi Cordis Iesu (1856), B. M. V. de Lapurdo (1907), S. Familiae (1921), D. N. I. C. Regis (1925), Maternitatis B. M. V. (1931), Immaculati Cordis B. M. V. (1942), B. M. V. Reginae (1954), S. Ioseph Opificis (1955).

Plura ex his festis pietatem significant cuiusdam aetatis vel familiae religiosae propriam; nonnulla vero, initio, alicui piae associationi tamquam propria concessa sunt. Unde intellegitur idem festum non eodem populi favore ubique gaudere: v. g., festum S. Ioseph Opificis alicubi toto

[11] S. Congr. Rituum, Instructio de Calendariis particularibus revisendis, n. 32, 14 febr. 1961: A.A.S. 53 (1961) p. 174.

pectore a christianorum operariorum coetibus celebratur, alibi vero minore animo.

Natura igitur festorum devotionis postulat ut pauca tantum ex ipsis in calendario generali serventur, ceteris ad calendaria particularia remissis, vel eorum tantum formulariis Missarum inter Missas votivas servatis.

En festa devotionis in novo calendario servata.

A) Festa Domini

Perstant sollemnitates SS. Trinitatis, SS. Eucharistiae, Sacr.mi Cordis Iesu et D. N. I. C. universorum Regis, necnon festum S. Familiae. Sollemnitas autem D. N. I. C. universorum Regis posthac ultima dominica « per annum » seu dominica ante Adventum, celebrabitur, festum autem S. Familiae dominica infra octavam Nativitatis.

Cetera vero, ut supra dictum est, in calendariis particularibus servari poterunt, formulariis tamen earundem Missarum inter Missas votivas positis. Attamen de SS. Nomine Iesu mentio habebitur per primam lectionem et evangelium die 1 ianuarii, quod de impositione huius Nominis loquitur. E contra, festum Pretiosissimi Sanguinis Christi supervacaneum visum est, cum Passio Domini per Hebdomadam sanctam praecipue celebretur et de eadem in sollemnitatibus SS. Corporis Christi (seu SS. Corporis et Sanguinis Christi) et Sacr.mi Cordis Iesu, necnon in festo Exaltationis S. Crucis, agatur.

B) Festa B. Mariae Virginis, S. Ioseph et Ss. Angelorum

Festum Maternitatis B. M. V. calendario, die 1 ianuarii, inter sollemnitates adscribitur, ut supra dictum est, cum agebatur de Proprio de Tempore.

Quattuor e festis calendarii praecedentis servantur ut memoriae obligatoriae: B. M. V. Reginae (22 aug.), B. M. V. Perdolentis (15 sept.), B. M. V. a Rosario (7 oct.), Praesentationis B. M. V. (21 nov.).

Quattuor autem memoriae ad libitum effecta sunt: B. M. V. de Lapurdo (11 febr.), Immaculati Cordis B. M. V. (sabbato post sollemnitatem Sacr.mi Cordis Iesu), B. M. V. de Monte Carmelo (16 iul.), Dedicationis basilicae S. Mariae Maioris (5 aug.).

Celebratio S. Ioseph Opificis tamquam memoria ad libitum servata est, coetuum operariorum christianorum causa.

Suppressio vel imminutio festorum devotionis B. M. V. id efficiet ut a populo christiano pluris fiant, et maiore honore colantur festa Domini in quibus Iesus cum Matre sua intime coniungitur, i. e. Annuntiatio Domini (25 mart.) et Praesentatio Domini (2 febr.), necnon maiora festa beatae Mariae Virginis, quae eiusdem vitae mysteria celebrant, i. e. Conceptio Immaculata (8 dec.), Nativitas (8 sept.), Visitatio (31 maii), As-

sumptio (15 aug.). Tali ratione insuper pietas erga Deiparam condicionibus, indoli ingenioque populorum melius aptari poterit, ad mentem Const. *Lumen Gentium* (art. 66).

Vetustum festum Dedicationis S. Michaëlis Arch. (29 sept.) in festum Ss. Archangelorum Michaëlis, Gabrielis et Raphaëlis versum est; festum autem Ss. Angelorum Custodum (2 oct.) inter memorias obligatorias servabitur.

2. Criticum examen de iis quae de singulis Sanctis tradita sunt

Si mandatum Constitutionis de sacra Liturgia ad verbum et rigide exsequendum fuisset, pauci Sancti *momentum universale revera prae se ferentes* in calendario generali servandi fuissent. Incongruens et immoderatus hic modus visus est; stupores quamplurimos et offensiones excitasset. Quam ob rem alia via electa est: plures Sancti, in calendario anni 1960 inscripti, servati sunt, memoria tamen eorum ad libitum relicta.

Ad historicum iudicium de singulis Sanctis faciendum, plurimum profuit hagiographica scientia, quae inde ab exitu saeculi XIX, archeologiae studiis adiuvantibus, valde profecit, labore praecipue H. Delehaye et Societatis Bollandistarum. *Commentarius perpetuus in Martyrologium hieronymianum* (1931) et *Martyrologium romanum scholiis historicis instructum* (1940) huius laboris exitus, optimis argumentis nixos, exhibent, quamvis nonnulla adhuc incerta et tenebricosa sint. Alia posteriora hagiographica opera, inter quae excellit *Bibliotheca Sanctorum* Universitatis Lateranensis, has notitias pervulgarunt, compleverunt et expoliverunt. Calendarii recognitio necessario et largiter his operibus studiisque usa est. Nostrae enim aetatis christiani, suam erga Sanctos venerationem historica veritate, ut aequum est, firmare volunt.

Maxima ergo cum diligentia historicum iudicium de Sanctis in calendario anni 1960 inscriptis factum est. Secundum diversas quaestiones quas praebent, Sancti hac in inquisitione in diversas classes distributi sunt.

A) Sancti qui graves historicas difficultates praebent

Maiores difficultates exhibent: S. Paulus eremita (15 ian.), S. Maurus (15 ian.), S. Martina (30 ian.), S. Domitilla (12 maii), S. Bonifatius Tarsensis (14 maii), S. Venantius (18 maii), S. Pudentiana (19 maii), Ss. Modestus et Crescentia (15 iun.), Ss. Ioannes et Paulus (26 iun.), S. Alexius (17 iul.), Ss. Symphorosa et filii (18 iul.), S. Margarita (20 iul.), S. Christophorus (25 iul.), S. Susanna (11 aug.), S. Hippolytus (22 aug.), Ss. duodecim Fratres (1 sept.), Ss. Lucia et Geminianus (16 sept.), Ss. Eustachius et socii (20 sept.), S. Thecla (23 sept.), Ss. Cyprianus et Iustina (26 sept.), Ss. Placidus et socii (5 oct.), Ss. Trypho, Bacchus et Apuleius (8 oct.), Ss. Ursula et sociae (21 oct.), Ss. Respicius et Nympha (10 nov.), S. Felix

Valesius (20 nov.), S. Caecilia (22 nov.), S. Catharina (25 nov.), S. Bibiana (2 dec.), S. Barbara (4 dec.).

Quamvis affirmare non possint hos Sanctos non exstitisse, hagiographi nequeunt historica fundamenta eorum cultus penitus explanare, ut facile intellegi potest e notitiis in memoratis operibus collectis de unoquoque Sancto. Nomina igitur horum Sanctorum, excepto nomine S. Caeciliae, in novo Calendario non amplius continentur.

De sancta Caecilia vero historicae difficultates non paucae exstant. « Caeciliam ignorant Depositio Martyrum, Calendarium carthaginiense, Damasus, Prudentius, Ambrosius. Unum satis certum est, Romae exstitisse titulum Caeciliae, qui, inclinante saeculo V, in monumentis iam comperitur, et in eodem titulo, medio circiter saeculo VI, festum S. Caeciliae celebrari iam solitum esse die 22 novembris ».[12] Eadem vero in calendario retenta est, popularis devotionis causa.

B) Martyres romani antiqui

Tales habentur martyres romani de quorum exsistentia et cultu certiores nos faciunt Depositio martyrum romana anni 354, Sacramentaria aliaque Mediae Aetatis monumenta. Hi sunt: Ss. Marius et socii (19 ian.), S. Fabianus (20 ian.), S. Sebastianus (20 ian.), S. Agnes (21 ian.), S. Emerentiana (23 ian.), S. Valentinus (14 febr.), Ss. Tiburtius et socii (14 apr.), Ss. Alexander et socii (3 maii), Ss. Gordianus et Epimachus (10 maii), Ss. Nereus et Achilleus (12 maii), S. Pancratius (12 maii), S. Petronilla (31 maii), Ss. Marcellinus et Petrus (2 iun.), Ss. Primus et Felicianus (9 iun.), S. Basilides (12 iun.), Ss. Marcus et Marcellianus (18 iun.), Ss. Petrus et Paulus (29 iun.), Ss. Processus et Martinianus (2 iul.), Ss. septem Martyres (10 iul.), S. Felix (29 iul.), Ss. Simplicius, Faustinus et Beatrix (29 iul.), Ss. Abdon et Sennen (30 iul.), Ss. Xystus II et socii (6 aug.), Ss. Cyriacus et socii (8 aug.), S. Romanus (9 aug.), S. Laurentius (10 aug.), S. Tiburtius (11 aug.), Ss. Pontianus et Hippolytus (13 aug.), S. Timotheus (22 aug.), S. Hermes (28 aug.), Ss. Felix et Adauctus (30 aug.), S. Gorgonius (9 sept.), Ss. Protus et Hyacinthus (11 sept.), S. Nicomedes (15 sept.), S. Cornelius (16 sept.), S. Callistus (14 oct.), Ss. Chrysanthus et Daria (25 oct.), Ss. quatuor Coronati (8 nov.), S. Clemens (23 nov.), S. Felicitas (23 nov.), S. Saturninus (29 nov.).

Hi considerandi sunt velut augustum cor agminis Sanctorum quos Romana Ecclesia coluit. Si Apostolos Petrum et Paulum et insignes Martyres saeculi III excipimus, de ceteris nihil aliud novimus praeter *nomen, locum, diem,* verba adhibentes S. Gregorii Magni,[13] quae verba H. Delehaye hoc noto nomine vocavit: « coordonnées hagiographiques ». Quae, si multum viris historicis valent, parum fidelibus saeculi XX significant.

[12] H. Delehaye, *Commentarius perpetuus in Martyrologium hieronymianum,* p. 613.
[13] S. Gregorius Magnus, *Registri epistolarum,* VIII, 28: PL 77, 441.

Quaestio ergo orta est, utrum omnes memorati Sancti in calendario servandi essent an non.

Via media electa est. Praeter sollemnitatem Ss. Apostolorum Petri et Pauli (29 iun.) et festum S. Laurentii (10 aug.), in calendario exstant: memoriae obligatoriae S. Agnetis (21 ian.), S. Iustini (1 iun.), S. Cornelii cum S. Cypriano (16 sept.) atque S. Ignatii Antiocheni (17 oct.); memoriae ad libitum Paparum Fabiani (20 ian.), Xysti II (5 aug.), Pontiani cum Hippolyto exsilii socio (13 aug.), Callisti (14 oct.) et Clementis (23 nov.), necnon martyrum quos in coemeterialibus vel urbanis basilicis peregrini adhuc venerantur: Sebastiani (20 ian.), Nerei et Achillei (12 maii), Pancratii (12 maii), Petri et Marcellini (2 iun.). Addita quoque est, postridie sollemnitatem Ss. Petri et Pauli (30 iunii), nova memoria ad libitum Ss. Protomartyrum S. Romanae Ecclesiae, i. e. virorum ac mulierum, qui in circo Neroniano occisi sunt (a. 64). Itaque novum calendarium vere calendarium romanum haberi potest, traditioni inhaerens.

C) Titulorum fundatores

Hi sunt: S. Prisca (18 ian.), S. Praxedes (21 iul.), S. Eusebius (14 aug.), S. Sabina (29 aug.), S. Chrysogonus (24 nov.), S. Anastasia (25 dec.), quibus addi possunt S. Pudentiana (19 maii) et S. Caecilia (22 nov.).

Genus scriptionis legendarum fundationis antiquorum titulorum romanorum hodie omnibus notum est, nec quisquam credere potest horum fundatores martyres vel confessores esse, sicut legendae affirmant. Eorum ergo nomina (excepta S. Caecilia) e calendario expuncta sunt.

3. **Electio Sanctorum maioris momenti**

Constitutio de sacra Liturgia statuit in calendario generali servanda esse festa *quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes* (art. 111). Nemo dubitat quattuor magnos doctores Orientis et Occidentis, S. Leonem Magnum, S. Benedictum, S. Bernardum, S. Dominicum, S. Franciscum Assisiensem, S. Thomam de Aquino, S. Ignatium de Loyola, S. Franciscum Xavier, S. Teresiam de Avila et nonnullos alios Sanctos magni momenti pro Ecclesia universali esse. Nullam autem aequam regulam statuere sine ulla dubitatione possumus qui Sancti sint *vere magni* momenti.

Plerique huiusmodi Sanctorum selecti sunt ex calendario anni 1960; nonnulli additi sunt ut calendarium re vera *universale* fieret, ut infra dicetur. Mirum esset si Sancti qui his postremis saeculis Ecclesiae historiam magnis vestigiis illustrarunt, in calendarium romanum non assumerentur. In Sanctis novi calendarii eligendis, quoddam chronologicum et geographicum aequilibrium institutum est. Decet omnes aetates exprimi; et dedecet Sanctos ex diversis Italiae et Galliae regionibus nimis

numerosos esse prae Sanctis ceterarum nationum. Elenchis chronologico, geographico et alphabetico infra relatis, exquiri potest quo modo commune hoc desiderium expleri potuit.

Ut Sancti statuerentur, quorum nomina ad calendaria particularia remitti potuissent, in variis classibus divisi sunt, et sic recognitio et iudicium facta sunt.

A) Romani Pontifices

Calendarium anni 1960 nomina exhibebat 38 Paparum, quorum 26 colebantur tamquam martyres priorum saeculorum. In antiquis sacramentariis pauci ex his 26 Papis nominantur. Ceteris cultus exhiberi coeptus est saeculis XII et XIII, impulsus causa a S. Gregorio VII illati, saeculo XI exeunte.[14]

In novo calendario 15 tantum Papae servati sunt:

6 trium priorum saeculorum (omnes martyres): S. Fabianus (20 ian.), S. Xystus II (5 aug.), S. Cornelius (16 sept.), S. Pontianus (13 aug.), S. Callistus (14 oct.), S. Clemens (23 nov.);

6 quattuor sequentium saeculorum (e quibus duo martyres): S. Martinus I (13 apr.), S. Ioannes I (18 maii), S. Gregorius Magnus (3 sept.), S. Leo Magnus (10 nov.), S. Damasus (11 dec.), S. Silvester (31 dec.);

3 posteriorum temporum: S. Pius V (30 apr.), S. Gregorius VII (25 maii), S. Pius X (21 aug.).

Iam e Calendario pro clero almae Urbis, anno 1963 recognito, plura nomina Paparum expuncta erant.

En 23 Papae qui non amplius exstant in novo calendario generali: Telesphorus (5 ian.), Hyginus (11 ian.), Marcellus I (16 ian.), Lucius I (4 mart.), Anicetus (17 apr.), Soter et Caius (22 apr.), Cletus et Marcellinus (26 apr.), Petrus Caelestinus (19 maii), Urbanus I (25 maii), Eleutherius (26 maii), Felix I (30 maii), Silverius (20 iun.), Pius I (11 iul.), Victor I et Innocentius I (28 iul.), Stephanus I (2 aug.), Zephyrinus (26 aug.), Linus (23 sept.), Marcus I (7 oct.), Evaristus (26 oct.), Miltiades (10 dec.).

Calendarium anni 1960 iam deleverat festum S. Anacleti (13 iul.) et dempserat titulum Papae a martyribus Alexandro (3 maii) et Felice (29 iul.).

Memoria vero S. Petri Caelestini ad calendaria particularia remittitur, quippe qui post mortem non tamquam pontifex sed tamquam eremita honoratus est; in calendario enim Capellae papalis saeculi XIV legimus: « S. Petri, confessoris, olim Caelestini, papae ».

[14] *Micrologus*, cap. 43. *De martyribus Romanis Pontificibus*: PL 151, 1010.

B) Martyres non romani

In calendario anni 1960 multi martyres non romani scripti erant: S. Felix (14 ian.), S. Canutus (19 ian.), Ss. Vincentius et Anastasius (22 ian.), S. Polycarpus (26 ian.), S. Blasius (3 febr.), S. Agatha (5 febr.), S. Dorothea (6 febr.), S. Apollonia (9 febr.), Ss. Faustinus et Iovita (15 febr.), S. Simeon (18 febr.), Ss. Perpetua et Felicitas (6 mart.), Ss. quadraginta Martyres (10 mart.), S. Hermenegildus (13 apr.), S. Georgius (23 apr.), S. Fidelis (24 apr.), S. Petrus de Verona (29 apr.), S. Stanislaus (7 maii), S. Erasmus (2 iun.), S. Bonifatius (5 iun.), Ss. Cyrinus, Nabor et Nazarius (12 iun.), S. Vitus (15 iun.), Ss. Gervasius et Protasius (19 iun.), S. Irenaeus (3 iul.), Ss. Nabor et Felix (12 iul.), S. Apollinaris (23 iul.), S. Christina (24 iul.), S. Pantaleon (27 iul.), Ss. Nazarius et Celsus (28 iul.), Ss. Macchabaei (1 aug.), S. Donatus (7 aug.), S. Cassianus (13 aug.), S. Agapitus (18 aug.), S. Symphorianus (22 aug.), S. Hadrianus (8 sept.), S. Cyprianus, S. Euphemia et S. Lucia (16 sept.), Ss. Ianuarius et socii (19 sept.), Ss. Mauritius et socii (22 sept.), Ss. Cosmas et Damianus (27 sept.), S. Wenceslaus (28 sept.), Ss. Sergius et Marcellus (8 oct.), Ss. Dionysius et socii (9 oct.), Ss. Vitalis et Agricola (4 nov.), S. Theodorus (9 nov.), S. Menna (11 nov.), S. Iosaphat (14 nov.), S. Petrus Alexandrinus (26 nov.), S. Lucia (13 dec.), S. Eusebius (16 dec.), S. Thomas Cantuariensis (29 dec.).

Qua ratione, ex omnibus his, assumendi erant martyres in novo calendario servandi? Ii selecti sunt qui in una ex sequentibus classibus haberi possunt:

Martyres clariores antiqui: S. Polycarpus (23 febr.), Ss. Perpetua et Felicitas (7 mart.), S. Cyprianus (16 sept.). Secundum traditionem, S. Irenaeus adhuc tamquam martyr coletur, etiamsi scriptores antiqui nihil de eius martyrio dicant. Contra, S. Eusebius in novo calendario tamquam episcopus non martyr inscribitur.

Martyres quorum cultus valde popularis est Romae et alibi: S. Vincentius (22 ian.), S. Blasius (3 febr.), S. Agatha (5 febr.), S. Georgius (23 apr.), S. Ianuarius (19 sept.), Ss. Cosmas et Damianus (26 sept.), Ss. Dionysius et socii (9 oct.), S. Lucia (13 dec.). Eorum sane passiones fabulosae sunt, sed viri historici de eorum exsistentia et martyrio minime dubitant.

Martyres clariores mediae et modernae aetatis: S. Fidelis de Sigmaringa (24 apr.), S. Stanislaus (8 maii), S. Bonifatius (5 iun.), S. Wenceslaus (28 sept.), S. Iosaphat (12 nov.), S. Thomas Cantuariensis (29 dec.). Omnes hi Sancti ad diversas regiones pertinent.

C) Sancti non martyres

Aequum est ut universa Ecclesia diversarum regionum apostolos colat, v. g. S. Augustinum Cantuariensem, Ss. Cyrillum et Methodium, quibus tamquam memoria ad libitum additur S. Ansgarius (3 febr.), Evangelii praeco in Dania et Suecia.

Servantur etiam nomina fundatorum ordinum et congregationum, qui novum magni momenti religionis aspectum in Ecclesiam advexerunt. Omnes vero Ecclesiae doctores retinentur, memoria saltem ad libitum colendi.

Nomina 30 Sanctorum e calendario expuncta sunt, quorum plerique ex Italia proveniunt; quo geographicum quoddam aequilibrium in calendario effectum est. Nonnulli tamen hanc simplificationem nimis timidam fuisse et nonnullas memorias ad libitum propositas e calendario expungi potuisse existimabunt.

En Sancti quorum celebratio ad calendaria particularia remittitur:
S. Petrus de Nolasco (28 ian.), S. Andreas Corsini (4 febr.), S. Ioannes de Matha (8 febr.), S. Gabriel a Virgine Perdolente (27 febr.), S. Iuvenalis (3 maii), S. Antoninus (10 maii), S. Ubaldus (16 maii), S. Paschalis Baylon (17 maii), S. Franciscus Caracciolo (4 iun.), S. Ioannes de S. Facundo (12 iun.), S. Gregorius Barbarigo (17 iun.), S. Iuliana Falconieri (19 iun.), S. Gulielmus (25 iun.), S. Ioannes Gualberto (12 iul.), S. Liborius (23 iul.), S. Hyacinthus (17 aug.), S. Philippus Benizi (23 aug.), S. Raimundus Nonnatus (31 aug.), S. Aegidius (1 sept.), S. Laurentius Giustiniani (5 sept.), S. Nicolaus de Tolentino (10 sept.), S. Iosephus de Cupertino (18 sept.), S. Petrus de Alcantara (19 oct.), S. Thomas de Villanova (22 sept.), S. Remigius (1 oct.), S. Franciscus Borgia (10 oct.), S. Eduardus (13 oct.), S. Hilarion (21 oct.), S. Andreas Avellino (10 nov.), S. Didacus (13 nov.), S. Gregorius Thaumaturgus (17 nov.), S. Silvester Gozzelini (26 nov.), S. Sabbas (5 dec.).

4. Recognitio diei festi Sanctorum

Primitus martyres praecipue colebantur die anniversaria eorum mortis, quae Sanctorum dies natalis aeternae vitae est, qua gloriae Christi participes effecti sunt. Christiani smyrnenses, locum significantes quo S. Polycarpi ossa posita erant, dicebant: « Ibi, quantum fieri potest, cum gaudio et laetitia conveniemus, anniversarium, Deo favente, celebraturi diei quo Polycarpus martyrio caelo natus est ».[15] Item S. Cyprianus presbyteris praecepit ut diem notarent quo fidei confessores in carceribus martyrium

[15] Ecclesiae Smyrnensis de martyrio sancti Polycarpi epistula circularis, 18: PG 51, 1043.

complebant: « Denique et dies eorum quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus ».[16] Traditio cultum Sanctorum evidenter et expresse in spatio (cultum localem) et in tempore (cultum in die anniversaria) definivit.

Calendarium romanum usque adhuc vigens multas anomalias hac de re habet. Multi dies falsi sunt; nonnulli Sancti cum aliis confusi sunt; v. g., S. Polycarpus martyrium subiit die 23 februarii (anno circiter 156), sed eius festum die 26 ianuarii statutum est, quo die S. Polycarpus Nicaenus obiit.[17] Saeculo IX Adon Viennensis, in opere quod falso antiquius putatum est, plurimos dies suo arbitrio statuit, quos dein calendarium romanum recepit. Recentiore autem aetate, pluries variis festis dies statuta est nullo modo cum Sancti vita coniuncta; v. g. nulla firma ratione festo S. Vincentii de Paul dies 19 iulii, festo S. Ioannis Damasceni dies 27 martii, festo S. Roberti Bellarmino dies 13 maii.

In hac calendarii emendatione, quantum fieri potuit, omnes Sanctorum celebrationes in eorum diem natalicium collatae vel restitutae sunt. Si haec dies a sollemnitate vel festo vel memoria obligatoria impeditur aut ignoratur:

a) Vel electa est proxima dies libera, quae diem natalicium sequitur vel praecedit; v. g., S. Pius X obiit die 20 augusti 1914, sed cum eodem die in calendario iam S. Bernardus inscriptus sit († 20 augusti 1153), sequens dies electus est; nam eodem die duae memoriae obligatoriae celebrari nequeunt.

b) Vel electum est anniversarium translationis (v. g., pro S. Francisco de Sales) vel dedicationis ecclesiae in eius honorem (v. g., pro S. Michaële Archangelo) vel ordinationis (v. g., pro S. Ambrosio).

c) Pro pluribus Sanctis orientalibus dies electa est, qua in loco suo coluntur (v. g., pro S. Ignatio Antiocheno).

Dies natalis trium Sanctorum magni momenti tempore quadragesimali occurrit; cum autem memoriae obligatoriae eodem tempore celebrari nequeant, S. Thomas de Aquino diei 28 ianuarii assignatus est (qua eius corpus Tolosam anno 1369 translatum est), S. Gregorius Magnus diei 3 septembris (qua anno 590 ordinatus est), S. Benedictus diei 11 iulii (qua eius sollemnitas a monachis iam a saeculo VIII celebratur).

5. **Calendarii « universalizatio »**

Sanctorum cultus a martyrum veneratione ortus est. In calendario generali Sanctis romanis additi sunt multi Sancti orientales et Africae septentrionalis, plurimi Sancti itali, galli atque hispani, et aliquot Sancti

[16] Epistula 37: PL 4, 337.
[17] Cf. *Breviarium Syriacum*, ed. B. Mariani, Roma 1956, p. 30.

ex aliis Europae regionibus. Nunc autem tempus advenit quo calendario inserantur aliquot Sancti aliarum orbis regionum, martyres praecipue, quibus singularem cultum Ecclesia semper praebuit. Hodie omnes quinque continentes iam Evangelii praeconum laboribus martyrumque sanguine sanctificati sunt. In novum calendarium ergo memoriae introductae sunt Ss. Pauli Miki eiusque sociorum, martyrum iaponensium et protomartyrum canonizatorum Extremi Orientis († 5 februarii 1597), Ss. Isaac Jogues eiusque sociorum martyrum, in regionibus Canadiae et U. S. A. interfectorum († 18 octobris 1647), S. Petri Chanel protomartyris Oceaniae († 28 aprilis 1841) et Ss. Caroli Lwanga eiusque sociorum, martyrum ugandensium et protomartyrum Africae centralis († 3 iunii 1886).

In calendario iam inveniebatur S. Rosa de Lima (30 aug.); nunc additi sunt S. Turibius de Mongrovejo, archiepiscopus Limanus († 23 martii 1606), qui ecclesiasticam hierarchiam in America Latina ordinavit et S. Martinus de Porres († 3 novembris 1639), inter gentes nigri et mixti coloris valde popularis.

II. De ratione celebrationis

Constitutio de sacra Liturgia decrevit: *Proprium de Tempore aptum suum locum obtineat super festa Sanctorum, ut integer mysteriorum salutis cyclus debito modo recolatur* (art. 108).

Haec tamen praecedentia cycli liturgici de mysterio salutis super celebrationes Sanctorum minime obtineri potest calendarii tantum recognitione, sed attendendum est etiam ad rationem celebrationis Sanctorum, principio de quo supra prae oculis habito.

Ceterum res non est omnino nova: iam instauratio liturgica a S. Pio X promota ad hunc finem intendebat. Neque negari potest quanti ponderis ad primam instaurationem cycli liturgici de mysterio salutis fuerunt normae illius instaurationis « pianae » et de usu psalterii ferialis necnon de lectione Scripturae sacrae sic dictae « occurrentis » in officiis Sanctorum, et de usu infra hebdomadam formularii Missae de dominica praecedenti necnon de facultate celebrandi in Quadragesima Missam de feria etiam in festis Sanctorum.

Hanc instaurationem, ut patet, S. Pius X effecit rubricarum immutatione, non calendarii reformatione.

Cum non omnes celebrationes Sanctorum eundem momentum habeant, praeprimis oportet eas per gradus distinguere, ac deinde modum celebrationis pro unoquoque gradu statuere.

1. De gradibus celebrationis Sanctorum

In definiendis gradibus celebrationis Sanctorum, decursu temporum, quidam graduum ordo introductus est, semper in dies magis implicatus, necnon quoad vocabula difficilis intellectu, ex. gr. duplex, semiduplex, etc. Anno 1960, Codex rubricarum hunc graduum ordinem feliciter simpliciorem reddidit, Sanctorum festa distinguens tantum in tres classes, quibus addidit, pro Sanctis minoris momenti, celebrationem per « commemorationem » in Officio diei.

Celebratio tamen omnium festorum et commemorationum, quae in calendario romano generali erant inscripta, iuxta Codicem rubricarum, erat praeceptiva. Anno 1967, Instructio *Tres abhinc annos,* normam instaurans de unica oratione in Missa dicenda, novam viam aperuit in celebrandis in Missa festis minoris momenti. Nam si ex una parte norma illa de unica oratione in Missa dicenda, in praxi, saltem in festis primae et secundae classis necnon per totam Quadragesimam, abolevit commemorationem in Missa omnium celebrationum cum illis festis vel diebus occurrentibus, ex altera parte sacerdotibus facultatem dedit in festis tertiae classis celebrandi Missam aut de festo occurrente aut de commemoratione ad Laudes facta: i. e. introduxit novum principium, temporibus anteactis bene notum, celebrationis « ad libitum » Sanctorum calendario inscriptorum.

Nova disciplina graduum celebrationis cohaeret cum hac simplificatione, ultimis temporibus incepta. Cum vox « classis » pro Sanctis, etsi perspicua et apta, non omnibus bene accepta sit, exinde, vocabula magis religiosa ac traditionalia tres gradus celebrationis Sanctorum indicabunt: « sollemnitas », « festum », « memoria »; quae ultima « obligatoria » vel « ad libitum » erit.

a) SOLLEMNITAS

Sollemnitas respondet primae classi anterioris denominationis.

Praeter sollemnitates mobiles, i. e. de Ss.ma Trinitate, de Ss.mo Corpore Christi, de Sacratissimo Corde Iesu, de DNIC universorum Rege, decem numerantur sollemnitates fixae:

Ianuarius

1 In octava Nativitatis Domini. Sollemnitas sanctae Dei Genetricis Mariae.
6 In Epiphania Domini.

Martius

19 S. Ioseph, sponsi beatae Mariae Virginis.
25 In Annuntiatione Domini.

Iunius

24 In Nativitate S. Ioannis Baptistae.
29 Ss. Petri et Pauli, apostolorum.

Augustus

15 In Assumptione B. M. V.

November

1 Omnium Sanctorum.

December

8 In Conceptione immaculata B. M. V.
25 In Nativitate Domini.

b) FESTUM

Festum respondet secundae classi anterioris denominationis. Praeter festa mobilia S. Familiae et Baptismatis Domini, viginti tria festa fixa numerantur:

Ianuarius

25 In Conversione S. Pauli, apostoli.

Februarius

2 In Praesentatione Domini.
22 Cathedrae S. Petri, apostoli.

Aprilis

25 S. Marci, evangelistae.

Maius

3 Ss. Philippi et Iacobi, apostolorum.
14 S. Matthiae, apostoli.
31 In Visitatione B. M. V.

Iulius

3 S. Thomae, apostoli.
25 S. Iacobi, apostoli.

Augustus

6 In Transfiguratione Domini.
10 S. Laurentii, martyris.
24 S. Bartholomaei, apostoli.

September

8 In Nativitate B. M. V.
14 In Exaltatione S. Crucis.
21 S. Matthaei, apostoli et evangelistae.
29 Ss. Michaëlis, Gabrielis et Raphaëlis, archangelorum.

October

18 S. Lucae, evangelistae.
28 Ss. Simonis et Iudae, apostolorum.

November

9 In Dedicatione Basilicae Lateranensis.
30 S. Andreae, apostoli.

December

26 S. Stephani, protomartyris.
27 S. Ioannis, apostoli et evangelistae.
28 Ss. Innocentium, martyrum.

c) MEMORIA

Vocabulum eruitur ex Constitutione de sacra Liturgia: *Memorias insuper Martyrum aliorumque Sanctorum... circulo anni inseruit Ecclesia* (art. 104). Sed et ipsum documentum Concilii vocabulum a traditione accipit: inde a S. Cypriano Patres et libri liturgici saepe saepius hoc vocabulo utuntur; quin immo ab anno 1915 vocabulum « memoria » introductum est in Calendarium monasticum ad indicandum gradum inferiorem festorum Sanctorum.

Dum sollemnitas et festum, quae rarius occurrunt, dies plene festivos constituunt, memoria celebratur ut simplex recordatio alicuius Sancti in die anniversario eius natalis. Sollemnitas et festum ut exceptio habentur, memoria inseritur in vita liturgica quotidiana: est enim simplex evocatio insignis servi Dei, sed, connexa cum celebratione divini Officii necnon cum oblatione Sacrificii eucharistici, fons gratiae efficitur: « ut quorum memoriam sacramenti participatione recolimus, fidem quoque proficiendo sectemur » (Sacram. Sangal. 1032).

Memoriae obligatoriae

Memoria est aut obligatoria aut ad libitum. Sexaginta tres numerantur memoriae obligatoriae.

Ianuarius

2 Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni.
17 S. Antonii abbatis.

21 S. Agnetis.
24 S. Francisci de Sales.
26 Ss. Timothei et Titi.
28 S. Thomae de Aquino.
31 S. Ioannis Bosco.

Februarius

5 S. Agathae.
6 Ss. Pauli Miki et sociorum.
10 S. Scholasticae.
14 Ss. Cyrilli et Methodii.
23 S. Polycarpi.

Martius

7 Ss. Perpetuae et Felicitatis.

Aprilis

7 S. Ioannis Baptistae de la Salle.
29 S. Catharinae Senensis.

Maius

2 S. Athanasii.
26 S. Philippi Neri.

Iunius

1 S. Iustini.
3 Ss. Caroli Lwanga et sociorum.
5 S. Bonifatii.
11 S. Barnabae.
13 S. Antonii de Padua.
21 S. Aloisii Gonzaga.
28 S. Irenaei.

Iulius

11 S. Benedicti.
15 S. Bonaventurae.
22 S. Mariae Magdalenae.
26 Ss. Ioachim et Annae.
29 S. Marthae.
31 S. Ignatii de Loyola.

Augustus

1 S. Alfonsi Mariae de' Liguori.
4 S. Ioannis Mariae Vianney.
7 S. Dominici.

11 S. Clarae.
20 S. Bernardi.
21 S. Pii X.
22 B. M. V. Reginae.
27 S. Monicae.
28 S. Augustini.
29 In Passione S. Ioannis Baptistae.

September

3 S. Gregorii Magni.
13 S. Ioannis Chrysostomi.
15 B. M. V. Perdolentis.
16 Ss. Cornelii et Cypriani.
27 S. Vincentii de Paul.
30 S. Hieronymi.

October

1 S. Teresiae a Iesu Infante.
2 Ss. Angelorum Custodum.
4 S. Francisci Assisiensis.
7 B. M. V. a Rosario.
15 S. Teresiae de Avila.
17 S. Ignatii Antiocheni.

November

4 S. Caroli Borromeo.
10 S. Leonis Magni.
11 S. Martini Turonensis.
12 S. Iosaphat.
17 S. Elisabeth Hungariae.
21 In Praesentatione B. M. V.
22 S. Caeciliae.

December

3 S. Francisci Xavier.
7 S. Ambrosii.
13 S. Luciae.
14 S. Ioannis a Cruce.

Sollemnitates, festa et memoriae obligatoriae constituunt catalogum dierum qui, iuxta praescriptum Constitutionis de sacra liturgia, *Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes* (art. 111).

Memoriae ad libitum.

Memoriae ad libitum nonaginta et quinque numerantur, i. e.: 6 in mense ianuario; 6 in mense februario; 6 in mense martio; 9 in mense aprili; 10 in mense maio; 8 in mense iunio; 10 in mense iulio; 10 in mense augusto; 4 in mense septembri; 10 in mense octobri; 7 in mense novembri; 8 in mense decembri. Eorum catalogus in textu calendarii invenitur.

Cum extra Adventum et Quadragesimam, adhuc facultas habetur celebrandi modo festivo Missam cuiuslibet Sancti in Martyrologio illo die inscripti, ut antea in feriis IV classis (Codex rubricarum, nn. 302-303), quaerere aliquis potest quodnam sit momentum memoriae ad libitum. Et certo certius affirmari potest eorum momentum non esse parvipendendum. Nam memoriae ad libitum, una cum memoriis obligatoriis, praebent cultui fidelium nonnullos inter multos Sanctos qui ut exemplum proponuntur, cum incrementum attulerint in vita Ecclesiae, populi gratia fruentes prae aliis, etiamsi haec admiratio aliquando ex circumstantiis externis eorum vitae aut scriptis originem traxit. Haud paucae eorundem memoriae ad libitum introductae sunt ut patefieret sanctitatem non esse tempore aut loco finitam. Et hoc ostendit indolem didacticam et pastoralem huius novi calendarii.

Memoria ad libitum insuper facultatem praebet Sanctum celebrandi non tantum in Missa sed etiam in Officio divino. Unicuique memoriae calendario inscriptae oratio propria in Missali assignatur et lectio hagiographica in Breviario.

Ne autem omnino eventualis celebratio alicuius Sancti popularis, cuius dies natalis tempore Quadragesimae, Adventus, aut infra octavam Nativitatis occurrit (ut ex. gr. S. Francisca Romana, S. Patricius, S. Silvester) impediatur, facultas datur celebrandi memorias ad libitum etiam illis temporibus liturgicis.

2. **Modus celebrationis**

Principia quae moderantur modum celebrandi sollemnitates, festa aut memorias fere eadem sunt ac ea quae sexaginta hisce annis gradatim instaurata sunt.

Quoad Officium divinum, S. Pius X in Constitutione Apostolica *Divino afflatu* (1911) viam aperuit ad componendam celebrationem Sanctorum cum liturgia feriali. Iam S. Pius V statuerat ut in festis ritus simplicis psalmi de feria dicerentur. S. Pius X hanc normam extendit festis ritus duplicis et semiduplicis, necnon octavis non privilegiatis; Pius XII vero momentum liturgiae ferialis auxit, supprimens fere omnes octavas necnon ritum semiduplicem (1955); Ioannes XXIII ultra processit, supprimens ritum duplicem maiorem et statuens ut in festis secundae classis adhiberetur psalmodia ferialis in Horis minoribus (1960).

Quoad Missam, nihil in hoc sensu saltem generali usque nunc actum est, facultas tamen utendi lectionario feriali penitus iam immutavit modum celebrationis festorum minorum: nam tantum festa tertiae classis, quae lectiones stricte proprias habent, celebrantur cum suo integro formulario; ceteris diebus tertiae classis lectiones, psalmus responsorius et versus alleluiaticus necnon Evangelium legi possunt e lectionario feriali.

Principium fundamentale instaurationis liturgicae Missae, ab hac norma, iam ab omnibus bene accepta, eruitur et hoc est: sollemnitates et festa integro formulario aut e Proprio, aut de Communi utentur; memoriarum formularium ita componetur ut in Officio et Missa feriae currentis inseri possint elementa propria Sanctoralis, secundum normas quae in Institutionibus generalibus de Missa et de Officio divino exponuntur. Sic, v. gr. in Missa, pro memoria tum obligatoria tum ad libitum alicuius Sancti, collecta dicitur de Sancto, oratio vero super oblata aut post communionem, necnon lectiones et cantus, ad libitum sumi possunt aut de Sancto aut de feria occurrenti.

3. **De titulis Sanctorum**

Inter titulos Sanctis tributos in liturgia romana, duo inveniuntur qui habent difficultatem, i. e. titulus « confessor » et alter, recentior, « nec virgo, nec martyr »: videtur quod hi tituli non sunt amplius adhibendi. Supprimendus etiam videtur titulus « vidua » ea ratione quod hodie hic titulus significationem religiosam, quam habebat temporibus anteactis, amisit.

Potius quam proponere titulos novos, ut ex. gr. « iustus », « laicus », « materfamilias », « mulier sancta », peropportune visum est non necessario unicuique Sancto aliquem titulum dare.

Exinde ergo, iuxta mentem Constitutionis conciliaris *Lumen Gentium*, Sanctis attribuentur sequentes tituli:

1. Tituli traditionales: Apostolus (Evangelista), Martyr, Virgo.

2. Tituli gradum in hierarchia sacra habitum indicantes: Episcopus (Papa), Presbyter, Diaconus.

Titulus « Papa » melius exprimit integrum officium Romani Pontificis plus quam titulus « Summus Pontifex »; ceterum titulus « Papa » lexico liturgico videtur pertinere: invenitur enim in Canone Romano.

Et alius titulus habetur qui per se non pertinet specialiter ad sacram hierarchiam, attamen usque adhuc de facto unice attributus est membris sacrae hierarchiae, i. e. titulus « Doctor Ecclesiae ».

3. Tituli illos, qui familiarum religiosarum ordinis erant, indicantes: Abbas (Monachus, Eremita), Religiosus, Religiosa.

Titulus « Abbas » tributus est omnibus Sanctis qui communitatem monasticam rexerunt, etiamsi presbyteri fuerunt, ut ex. gr. S. Bernardus; titulus « religiosus » religiosis non presbyteris assignatus est; titulus « religiosa » religiosae datus est ei quae ante ingressum in religionem, vitam matrimonialem vixerat; aliae religiosae titulo traditionali, i. e. « virginis », nominabuntur.

COMMENTARIUS IN NOVUM CALENDARIUM

I

COMMENTARIUS HISTORICUS CALENDARII ROMANI GENERALIS INSTAURATI

IANUARIUS

1 Sollemnitas sanctae Dei Genetricis Mariae

Ab antiquissimis temporibus Beata Virgo sub titulo « Deiparae » colitur (Const. *Lumen gentium,* art. 66). Cuius tituli omnes Ecclesiae memoriam faciunt quotidie in suis Precibus eucharisticis et per circulum anni praecipue in sollemnitatibus Nativitatis Domini.

In Officio romano diei primae ianuarii, quam antiquiora exemplaria Antiphonalis Missarum « Natale S. Mariae » appellant (saec. VIII), non paucae usque adhuc inveniuntur orationes, antiphonae et responsoria, in quibus divina Maternitas B. M. V. glorificatur.

Haec memoria S. Dei Genetricis Mariae die 26 decembris celebratur in ritibus byzantino et syro, tum orientali tum occidentali, et die 16 ianuarii in ritu copto.

2 Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni

S. Basilius Magnus obiit Caesareae, in Cappadocia, die 1 ianuarii, anno 379. Apud Byzantinos eius natale die 1 ianuarii celebratur. Eadem autem dies Romae selecta est pro eius memoria saec. XII, sed deinde S. Basilii festum translatum est ad diem 14 iunii (saec. XIII), quam Martyrologium Adonis (circa an. 860) eius ordinationi assignaverat, nullis suffragantibus monumentis.

S. Gregorius Theologus vero obiit Nazianzi die 25 ianuarii, anno 389 vel 390. Die 25 ianuarii eius natale celebratur apud Byzantinos. Festum S. Gregorii ascriptum est in Calendario romano circa annum 1500 die 9 maii celebrandum, die false reputata eius natali in Martyrologio Adonis.

6 In Epiphania Domini

Epiphaniae sollemnitas est orientalis origine, sine dubio alexandrina. Romae celebratur ab altera medietate saeculi IV.

7 S. Raymundi de Penyafort

S. Raymundus de Penyafort obiit Barcinone die 6 ianuarii 1275. Canonizatus est anno 1601, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1671 die 23 ianuarii celebrandum.[1]

13 S. Hilarii

Depositio S. Hilarii Pictavii, in Gallia, circa annum 367, die 13 ianuarii, recolitur in Martyrologio hieronymiano (saec. VI). A saeculo XIII eius festum Romae celebratur die sequenti ob octavam Epiphaniae.

17 S. Antonii

Apud Coptos, Syros et Byzantinos, S. Antonii Magni natale die 17 ianuarii celebratur. Eadem die eius memoria Hierosolymis habebatur iam a saeculo V. Festum S. Antonii introductum est Romam saeculo XII.

20 S. Fabiani

S. Sebastiani

Depositionem S. Fabiani, papae, in coemeterio Callisti (250) et S. Sebastiani in coemeterio *Ad Catacumbas* testatur die 20 ianuarii *Depositio Martyrum* (354). Antiqui libri liturgici romani utrumque martyrem separatim commemorant cum formulariis propriis.

21 S. Agnetis

Depositionem S. Agnetis in eius coemeterio via Nomentana testatur die 21 ianuarii *Depositio Martyrum* (354).

22 S. Vincentii

Depositio S. Vincentii Valentiae, in Hispania, die 22 ianuarii recolitur in Martyrologio hieronymiano et in libris liturgicis hispanis. Cultus S. Vincentii iam S. Augustini tempore universalis erat.

24 S. Francisci de Sales

S. Franciscus de Sales obiit Lugduni die 28 decembris 1622, eiusque corpus Annecium, in Gallia, die 24 ianuarii 1623 depositum est. Canonizatus est anno 1665, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno sequenti (1666) die 29 ianuarii celebrandum.

[1] Pro omnibus Sanctis qui ascripti sunt in Calendario romano per Decretum S.R.C. datur mentio antiquior, sive agatur de commemoratione, sive de festo ad libitum, sive de festo obligatorio.

25 In Conversione S. Pauli

Conversionem S. Pauli die 25 ianuarii Martyrologium hieronymianum commemorat. Festum referunt libri liturgici in Gallia exarati saeculo VIII exeunte.

26 Ss. Timothei et Titi

Duorum discipulorum S. Pauli ignoratur dies natalis. Martyrologium Bedae (ante an. 735) mentionem de S. Timotheo pridie Conversionem S. Pauli introduxit, et eius festum die 24 ianuarii Romae receptum est saeculo XIII. Festum vero S. Titi solummodo anno 1854 ascriptum est in Calendario romano, die 6 februarii celebrandum.

27 S. Angelae Merici

S. Angela Merici obiit Brixiae, in Italia, die 27 ianuarii 1540. Canonizata est anno 1807, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1861 die 31 maii celebrandum. Inducto autem eodem die festo B. M. V. Reginae (1955), in diem 1 iunii translatum est.

28 S. Thomae de Aquino

S. Thomas de Aquino obiit prope Tarracinam, in Italia, die 7 martii 1274. Canonizatus est anno 1323, eiusque festum eodem anno in Calendario romano ascriptum est. Cum saepe in Quadragesima occurrat, eius memoria posthac celebrabitur die 28 ianuarii, die translationis corporis eius Tolosam, anno 1369, quae in pluribus calendariis particularibus usque adhuc recolitur.

31 S. Ioannis Bosco

S. Ioannes Bosco obiit Augustae Taurinorum die 31 ianuarii 1888. Canonizatus est anno 1934, eiusque festum ascriptum est anno 1936 in Calendario romano.

FEBRUARIUS

2 In Praesentatione Domini

Festum Praesentationis Domini in templum, de quo iam a saeculo V Hierosolymis adest testimonium, Romae saeculo VII acceptum est sub nomine Hypapanti. Inde a saeculo X vero libri liturgici occidentales extulerunt purificationem Mariae, quae exinde nomen festo tribuit. Plene consentiendo traditioni Ecclesiarum orientalium Codex rubricarum anno 1960 hanc celebrationem tamquam festum Domini habendam esse declaraverat.

3 S. Blasii

S. Ansgarii

Cum cultus S. Blasii, episcopi Sebastis, in Armenia, valde popularis sit pluribus in regionibus, servatur eius memoria, a saeculo XII Romae celebrata.

S. Ansgarius obiit Bremae, in Germania, die 3 februarii 865. Cum, saeculo XIX, ascripti fuerint in Calendario romano sancti apostoli Germaniae, Angliae et regionum Slavorum, bonum visum est ascribi etiam apostolus Daniae et Sueciae.

5 S. Agathae

Depositio S. Agathae Catanae, in Sicilia, die 5 februarii recolitur in Martyrologio hieronymiano. Eius festum Romae saeculo VI receptum est.

6 Ss. Pauli Miki et sociorum

S. Paulus Miki eiusque viginti et quinque socii supplicium crucis subierunt Nagasaki, in Iaponia, die 5 februarii 1597. Isti sunt protomartyres canonizati totius Extremi Orientis (1862), quorum agmen constabat presbyteris et laicis, missionariis europaeis et christianis autochtonis.

8 S. Hieronymi Emiliani

S. Hieronymus Emiliani obiit Somaschae, in Italia, die 8 februarii 1537. Canonizatus est anno 1767, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1769, die 20 iulii celebrandum.

10 S. Scholasticae

Depositio S. Scholasticae in Monte Cassino, anno fere 547, recolitur die 10 februarii in Calendario marmoreo neapolitano (saec. IX) et in Martyrologio Usuardi (circa an. 870). Eius festum celebratur Romae a saeculo XII.

11 B. M. V. de Lapurdo

Beata Dei Genetrix Maria cultu valde populari colitur Lapurdi, in Gallia, ubi a die 11 februarii ad diem 16 iulii, anno 1858, per decem et octo vices humili puellae Bernardae Soubirous se manifestavit. Memoria harum apparitionum Mariae Immaculatae ascripta est in Calendario romano anno 1907.

14 Ss. Cyrilli et Methodii

S. Cyrillus, monachus, obiit Romae die 14 februarii 869, et frater eius, S. Methodius episcopus, Velehradii, in Cecoslovachia, die 6 aprilis circa annum 885. Eorum festum ascriptum est in Calendario romano anno 1880, die 5 iulii, infra octavam Ss. Petri et Pauli, celebrandum; sed iam anno 1897, inducto eodem die festo S. Antonii Mariae Zaccaria, in diem 7 translatum est.

17 Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.

Cum cultus septem suorum Fundatorum approbatus est anno 1725, sodales Ordinis Servorum B. M. V. eorum festum diei 11 februarii assignaverunt, qua die anniversarium celebratur approbationis canonicae ipsius Ordinis (anno 1304). Eadem die, post sanctorum Fundatorum canonizationem (anno 1888), festum ascriptum est in Calendario romano; postea vero in diem 12 translatum est, inducto festo Apparitionis B. M. V. Immaculatae (1907). Usui liturgico magis consentaneum videtur memoriam horum Sanctorum celebrari die natali unius ex ipsis, nempe Alexii Falconieri, qui die 17 februarii 1310 dicitur obiisse.

21 S. Petri Damiani

S. Petrus Damiani obiit Faventiae, in Italia, die 22 februarii 1072. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1823, die 23 februarii celebrandum.

22 Cathedrae S. Petri

« Natale Petri de cathedra » die 22 februarii iam testatur *Depositio Martyrum* (354).

23 S. Polycarpi

Martyrium S. Polycarpi Smyrnae die 23 februarii (155) testatur *Epistula Ecclesiae Smyrnensis* (XXI). Eadem die ascribitur in Breviario syriaco saec. IV eiusque natale celebratur a Byzantinis et Coptis. Festum S. Polycarpi Romae receptum est saeculo XIII, sed eius celebrationi assignata est dies 26 ianuarii, in qua fit memoria depositionis S. Polycarpi Nicaeni.

MARTIUS

4 S. Casimiri

S. Casimirus obiit Vilnae, in Lithuania, die 4 martii 1484. Canonizatus est anno 1521, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1621.

7 Ss. Perpetuae et Felicitatis

Depositionem Ss. Perpetuae et Felicitatis, Carthagine, die 7 martii (202 vel 203), testantur *Depositio martyrum* romana (354) et Breviarium syriacum. Ratione occurrentiae cum festo S. Thomae de Aquino, sanctarum martyrum festum anticipatum est, anno 1908, in diem 6 martii.

8 S. Ioannis a Deo

S. Ioannes a Deo obiit Granadae, in Hispania, die 8 martii 1550. Canonizatus est anno 1690, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1714.

9 S. Franciscae Romanae

S. Francisca Romana obiit Romae die 9 martii 1440. Canonizata est anno 1608, eiusque festum eodem anno in Calendario romano ascriptum est.

17 S. Patricii

Depositio S. Patricii, in Hibernia, die 17 martii (461) recolitur a pluribus manuscriptis Martyrologii hieronymiani et a Martyrologio Bedae. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1631.

18 S. Cyrilli Hierosolymitani

Depositio S. Cyrilli Hierosolymis, anno 386, die 18 martii iam commemorata erat in ista civitate saeculo v. S. Cyrillus eodem die colitur apud Byzantinos et Coptos. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1882.

19 S. Ioseph

S. Ioseph recolitur die 19 martii in pluribus Calendariis occidentalibus a saeculo x. Eius festum receptum est Romae eadem die celebrandum, anno 1479 et deinde, anno 1621, transiit in Calendarium romanum universum. Cum sollemnitas S. Ioseph semper in Quadragesima occurrat, Conferentiae episcopales facultatem habent ipsam ad aliam diem extra Quadragesimam transferendi.

23 S. Turibii de Mongrovejo

S. Turibius Alfonsus de Mongrovejo obiit Limae, in Peruvia, die 23 martii 1606. Canonizatus est anno 1726. Memoria eius ascribitur in Calendario generali ob momentum S. Turibii in instauranda disciplina ecclesiastica in Ecclesia Americae Latinae.

25 In Annuntiatione Domini

Sollemnitas Annuntiationis, origine orientalis, recepta est Romae saeculo VII sub titulo « Annuntiatio Domini », teste *Libro Pontificali.* Ritus orientales, sicut et ritus ambrosianus, illam semper habuerunt inter sollemnitates Domini.

APRILIS

2 S. Francisci de Paula

S. Franciscus de Paula obiit prope Turonem, in Gallia, die 2 aprilis 1507, feria VI in Passione Domini. Canonizatus est anno 1519, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1557. Suppressum vero anno 1568, idem festum restitutum est anno 1585.

4 S. Isidori

Depositio S. Isidori Hispali, in Hispania, die 4 aprilis 636 recolitur hac die a Calendariis hispanis mediae aetatis. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1722.

5 S. Vincentii Ferrer

S. Vincentius Ferrer obiit Venetiae, in Gallia, die 5 aprilis 1519. Canonizatus est anno 1455, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1667.

7 S. Ioannis Baptistae de la Salle

S. Ioannes Baptista de la Salle obiit Rothomagi, in Gallia, die 7 aprilis 1719. Canonizatus est anno 1900, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1904, die 15 maii celebrandum.

11 S. Stanislai

S. Stanislaus martyr occubuit Cracoviae die 11 aprilis 1079, uti refert obituarium Capituli cracoviensis. Canonizatus est anno 1253, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1594, die 7 maii celebrandum.

13 S. Martini I

Testimonia ex eius *Vita graeca* deprompta S. Martinum I obiisse in Crimea die 13 aprilis (656) indicant. Hac die recolitur eius memoria in ritu byzantino. Martyrologium Adonis depositionem S. Martini die 12 novembris refert, postridie festum S. Martini Turonensis, qua die eius festum Romae celebratur inde a saeculo XI.

21 S. Anselmi

S. Anselmus obiit Cantuariae, in Anglia, die 21 aprilis 1109. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1688.

23 S. Georgii

Cum cultus S. Georgii, qui exordium habuisse videtur in Lydda Palestinae, valde popularis sit tum in Occidente tum in Oriente, eius memoria servatur die 23 aprilis, qua die celebratur Romae ab anno 683. Eadem die colitur S. Georgius in ritibus syro et byzantino, die vero 18 aprilis apud Coptos.

24 S. Fidelis de Sigmaringa

S. Fidelis martyr occubuit Sevisii, in Helvetia, die 24 aprilis 1622. Canonizatus est anno 1746, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1771.

25 S. Marci

Festum S. Marci die 25 aprilis celebratur in ritibus copto et byzantino. Receptum est Romae saeculo XI.

28 S. Petri Chanel

S. Petrus Aloisius Maria Chanel martyr occubuit in insula Futuna, in Polynesia, die 28 aprilis 1841. Canonizatus est anno 1954. Congruum videtur ut Protomartyr Oceaniae ascribatur in Calendario generali.

29 S. Catharinae Senensis

S. Catharina Senensis obiit Romae die 29 aprilis 1380, et die 29 aprilis 1461 canonizata est. Eius commemoratio ascripta est in Calendario romano anno 1597, die 29 aprilis agenda, in festo S. Petri Veronensis; anno 1628 eius festum translatum est in diem sequentem.

30 S. Pii V

S. Pius V obiit Romae die 1 maii 1572. Canonizatus est anno 1712, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno sequenti (1713), die 5 maii celebrandum.

MAIUS

1 S. Ioseph Opificis

Festum S. Ioseph Opificis a Pio XII institutum est anno 1955, die 1 maii celebrandum, qua die in multis regionibus labor hominum extollitur. Sed in pluribus nationibus alio anni tempore ista dies laboris ponitur. Melius ergo visum est ut die 1 maii fiat tantum memoria ad libitum S. Ioseph Opificis.

2 S. Athanasii

Depositio S. Athanasii Alexandriae (373) recolitur die 2 maii in ritibus copto et byzantino. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1550.

3 Ss. Philippi et Iacobi

Festum Ss. Philippi et Iacobi connexum est cum dedicatione basilicae romanae XII Apostolorum, die 1 maii peracta circa annum 570. Inducto S. Ioseph Opificis festo (1955), translatum est perantiquum festum Apostolorum in primam diem liberam, i. e. in diem 11 maii. In Calendario instaurato, dies 3 maii fit prima dies libera post memoriam S. Ioseph.

12 Ss. Nerei et Achillei

S. Pancratii

Depositio Ss. Nerei et Achillei in coemeterio Domitillae die 12 maii recolitur in Martyrologio hieronymiano. Item memoria habetur depositionis S. Pancratii in coemeterio Octavillae. Antiqui libri liturgici romani separatim commemorant martyres viae Ardeatinae et martyrem viae Aureliae cum formulariis propriis.

14 S. Matthiae

S. Matthias, cuius festum agitur die 4 martii in ritu copto et die 9 augusti in ritu byzantino, Romae colitur a saeculo XI die 24 februarii, qua die eius festum indicatur in *Notitia de locis Ss. Apostolorum* in capite Martyrologii hieronymiani. Cum dies 24 februarii non raro in Quadragesima occurrat, festum S. Matthiae transfertur ad diem 14 maii, ita ut tempore paschali, et quidem circa Ascensionem, celebretur.

18 S. Ioannis I

S. Ioannes I Ravennae in vinculis occubuit die 18 maii 526. Saeculo autem XII, eius festum ascriptum est in Calendario romano, die 27 maii celebrandum, qua die eius depositio in basilica vaticana recensetur.

20 S. Bernardini Senensis

S. Bernardinus Senensis obiit Aquilae, in Italia, die 20 maii 1444. Canonizatus est anno 1450, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1657.

25 S. Bedae Venerabilis

S. Gregorii VII

S. Mariae Magdalenae de' Pazzi

S. Beda Venerabilis obiit Girvi, in Anglia, die 25 maii 735. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1899, die 27 maii celebrandum.

S. Gregorius VII obiit Salerni, in Italia, die 25 maii 1085. Eius nomen ascriptum est in Martyrologio anno 1584, festum autem in Calendario romano anno 1728.

S. Maria Magdalena de' Pazzi obiit Florentiae die 25 maii 1607. Canonizata est anno 1669. Anno sequenti (1670), eius festum ascriptum est in Calendario romano, hac die celebrandum; sed anno 1728, inducto festo S. Gregorii VII, translatum est in diem 27 maii et, anno 1899, ob festum S. Bedae, in diem 29 maii.

26 S. Philippi Neri

S. Philippus Neri obiit Romae die 26 maii 1595. Canonizatus est anno 1622, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1625.

27 S. Augustini Cantuariensis

Depositio S. Augustini Cantuariae, in Anglia, die 26 maii 604 vel 605 ab antiquioribus manuscriptis Martyrologii hieronymiani (saec. VIII) recolitur. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1882, die 28 maii celebrandum.

31 In Visitatione B. M. V.

Festum Visitationis B. M. V., ab Urbano VI institutum anno 1389 ad obtinendam finem schismatis Occidentis, ascriptum est in Calendario romano die 2 iulii agendum, qua die a Franciscanis inde ab anno 1263 celebrabatur. Transfertur nunc in ultimam diem mensis maii, inter sollemnitates Annuntiationis Domini et Nativitatis S. Ioannis Baptistae, quo aptius consentiat narrationi evangelicae.

Sabbato post sollemnitatem Sacratissimi Cordis Iesu: **Immaculati Cordis B. M. V.**

Festum Immaculati Cordis B. M. V. institutum est anno 1944 a Pio XII, die 22 augusti celebrandum. Memoria ad libitum B. M. V. sub eodem titulo posthac melius habebitur postridie sollemnitatem Sacratissimi Cordis Iesu.

IUNIUS

1 S. Iustini

S. Iustinus martyr occubuit Romae anno fere 165, sed dies eius depositionis ignoratur. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1882, die 14 aprilis celebrandum, postridie memoriam eius in Martyrologio Flori. Cum tamen dies ista saepius in sollemnitates paschales incidat, memoria S. Iustini in diem 1 iunii translata est, qua die agitur apud Byzantinos, saltem a saeculo IX.

2 Ss. Marcellini et Petri

Depositio Ss. Marcellini et Petri in coemeterio *Inter duos Lauros* via Labicana (circa annum 304) die 2 iunii recolitur in Martyrologio hieronymiano.

3 Ss. Caroli Lwanga et sociorum

S. Carolus Lwanga ac vinginti et unus eius socii, Martyres Ugandae, sunt Protomartyres Africae nigrae. S. Carolus martyr occubuit una cum aliis duodecim apud Rubagam die 3 iunii 1886; alii interfecti sunt inter diem 26 maii 1886 et diem 27 ianuarii 1887. Canonizati sunt anno 1964.

5 S. Bonifatii

S. Bonifatius (Wynfrith) martyr occubuit prope Dokkum, in Hollandia, die 5 iunii anno 754, moxque eius memoria a fidelibus observari coepta est. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1874.

6 S. Norberti

S. Norbertus obiit Magdeburgi, in Germania, die 6 iunii 1134. Canonizatus est anno 1582, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1620.

9 S. Ephraem

Iuxta *Chronicon Edessenum* (540), S. Ephraem obiit Edessae die 9 iunii 378. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1920 die 18 iunii celebrandum.

11 S. Barnabae

Festum S. Barnabae die 11 iunii celebratur in ritibus byzantino et syro. Receptum est autem Romae saeculo XI.

13 S. Antonii de Padua

S. Antonius obiit Paduae, in Italia, die 13 iunii 1231. Canonizatus est anno sequenti (1232) et eius cultus statim diffusus est.

19 S. Romualdi

S. Romualdus obiit prope ~~Ravennam~~ Fabrianum (Valdicastro) die 19 iunii 1027. Canonizatus est anno 1032, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1594, hac die celebrandum; sed anno sequenti (1595) in diem 7 februarii repositum est, qua die commemoratur eius corporis translatio Fabrianum (1481).

21 S. Aloisii Gonzaga

S. Aloisius Gonzaga obiit Romae die 21 iunii 1591. Canonizatus est anno 1726, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1842.

22 S. Paulini Nolani

Ss. Ioannis Fisher et Thomae More

Depositio S. Paulini Nolae, in Italia, die 22 iunii 451 recolitur in Martyrologio hieronymiano. Festum eius receptum est Romae saeculo XII.

S. Ioannes Fisher martyr occubuit Londinii die 22 iunii 1535 et S. Thomas More die 6 iulii eiusdem anni. Hi duo illustres martyres, unus episcopus et alter laicus, canonizati sunt anno 1935. Illorum exempla fidelitatis proponenda videntur christianis nostrae aetatis.

24 In Nativitate S. Ioannis Baptistae

Sollemnitas Nativitatis S. Ioannis Baptistae die 24 iunii iam tempore S. Augustini tamquam traditionalis habebatur.

27 S. Cyrilli Alexandrini

Apud Coptos et Byzantinos depositio S. Cyrilli die 27 iunii recolitur. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1882, die 9 februarii celebrandum.

28 S. Irenaei

Depositio S. Irenaei Lugduni die 28 iunii (circa annum 202) in Martyrologio hieronymiano recolitur. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1920, eadem die celebrandum; sed anno 1960, ob vigiliam Ss. Apostolorum, in diem 3 iulii translatum est.

29 Ss. Petri et Pauli

Sollemnitatem Ss. Apostolorum Petri et Pauli refert die 29 iunii *Depositio Martyrum* (354), quae ipsius sollemnitatis originem ponit anno 258.

30 Ss. Protomartyrum S. Romanae Ecclesiae

Cum plura nomina antiquorum Martyrum in Calendario romano instaurato suppressa sint, introducitur postridie sollemnitatem Ss. Petri et Pauli memoria Protomartyrum S. Romanae Ecclesiae, tempore persecutionis Neronis occisorum in Circo Vaticano (64). Eorum festum in Urbe celebrabatur die 27 iunii ab anno 1923.

IULIUS

3 S. Thomae, Apostoli

Martyrologium hieronymianum die 3 iulii commemorat translationem corporis S. Thomae Edessam. Festum Apostoli hac die celebratur in ritibus syro occidentali et syro malabarensi. Receptum Romae saeculo IX, die 21 decembris agendum, in mensem iulium transfertur nunc, ne interrumpatur series feriarum maiorum Adventus.

4 S. Elisabeth Lusitaniae

Elisabeth obiit Stremotii, in Lusitania, die 4 iulii 1336. Canonizata est anno 1626, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano eodem anno die 4 iulii celebrandum, sed anno 1694 translatum est in diem 8, extra octavam Ss. Apostolorum.

5 S. Antonii Mariae Zaccaria

S. Antonius Maria Zaccaria obiit Cremonae, in Italia, die 5 iulii 1539. Canonizatus est anno 1897, eiusque festum eodem anno ascriptum est in Calendario romano.

6 S. Mariae Goretti

S. Maria Goretti obiit virgo et martyr Neptuni, prope Romam, die 6 iulii 1904. Canonizata est anno 1950.

2.

11 S. Benedicti

Depositio S. Benedicti in Monte Cassino die 21 martii 547 ab aliquibus manuscriptis Martyrologii hieronymiani et a Martyrologio Bedae recolitur; et eadem die eius festum celebratum est Romae a saeculo XI. Sed, iam saeculo VIII exeunte, die 11 iulii apparet in libris liturgicis in Gallia exaratis festum « Natalis S. Benedicti », quamvis de origine huius festi compertum non sit. Memoria S. Benedicti ad hanc diem transfertur, quia die 21 martii perpetuo impeditur propter occurrentiam Quadragesimae.

13 S. Henrici

S. Henricus obiit Bambergae, in Germania, die 13 iulii 1024. Canonizatus est anno 1146. Anno 1631, eius commemoratio ascripta est in Calendario romano, in festo S. Anacleti facienda; postea vero, anno 1668, reposita est ut festum in diem 15 eiusdem mensis iulii.

14 S. Camilli de Lellis

S. Camillus de Lellis obiit Romae die 14 iulii 1614. Canonizatus est anno 1746, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1762, die 18 iulii celebrandum.

15 S. Bonaventurae

S. Bonaventura obiit Lugduni die 15 iulii 1274. Canonizatus est anno 1482, eiusque festum statim ascriptum est in Calendario romano, dominica secunda iulii celebrandum; anno 1568 assignatum est diei 14 iulii.

16 B. M. V. de Monte Carmelo

Festum B. M. V. de Monte Carmelo institutum est apud Carmelitas inter annum 1376 et 1386. Ascriptum est in Calendario romano anno 1726; ad commemorationem reductum est anno 1960.

21 S. Laurentii de Brundusio

S. Laurentius de Brundusio obiit Ulyssipone, in Lusitania, die 22 iulii 1619. Canonizatus est anno 1881, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1959, die 21 iulii celebrandum.

22 S. Mariae Magdalenae

Martyrologium Bedae mentionem facit, die 22 iulii, de S. Maria Magdalena. Eadem die eius festum celebratur apud Syros, Byzantinos et Coptos. Sed cultus S. Mariae Magdalenae in Occidente non est evulgatus ante saeculum XII. In liturgia romana instaurata iam non habebitur me-

moria Mariae de Bethania neque mulieris peccatricis de qua agitur in Lc 7, 36-50, sed tantum de Maria Magdalena cui Christus post suam resurrectionem primae apparuit.

23 S. Birgittae

S. Birgitta obiit Romae die 23 iulii 1373. Canonizata est die 7 octobris 1391, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1623, die 7 octobris celebrandum; anno vero 1628 ad diem sequentem (8 octobris) repositum est, ne festum S. Marci papae impediretur.

25 S. Iacobi

Quamvis S. Iacobus martyrium subiit diebus Paschae (*Act.* 12, 2), tamen die 25 iulii inscribitur in Martyrologio hieronymiano, eiusque festum eadem die Romae celebratur a saeculo IX.

26 Ss. Ioachim et Annae

In ritu byzantino die 25 iulii celebratur « Dormitio S. Annae », die nempe qua basilica in eius honorem Constantinopoli dedicata est (circa annum 550). Cultus Matris B. M. V. in Occidente divulgatus est praecipue a saeculo XII, eiusque festum saeculo sequenti die 26 iulii celebrari coeptum est. Suppressum a S. Pio V (1568), idem festum denuo ascriptum est in Calendario romano anno 1584.

Memoriae S. Annae adiungitur nunc memoria S. Ioachim, eius sponsi, cuius festum ascriptum in Calendario romano anno 1584, die 20 martii celebrandum, translatum est postea in dominicam post octavam Assumptionis (1738), ac tandem in diem 16 augusti (1913).

29 S. Marthae

Festum S. Marthae ascriptum est a Franciscanis in suo Calendario anno 1262, die 29 iulii celebrandum, i. e. in octava S. Mariae Magdalenae. Eodem saeculo XIII exeunte, Romae receptum est.

30 S. Petri Chrysologi

Secundum recentiorem interpretationem *Libri Pontificalis Ecclesiae Ravennatis* (saec. IX), S. Petrus Chrysologus obiit apud Forum Cornelii, in Italia, die 31 iulii, non vero die 2 decembris (post an. 451). Eius festum ascriptum est in calendario romano anno 1729, die 4 decembris celebrandum.

31 S. Ignatii de Loyola

S. Ignatius de Loyola obiit Romae die 31 iulii 1556. Canonizatus est anno 1622, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno sequenti (1623).

AUGUSTUS

1 S. Alfonsi Mariae de' Liguori

S. Alfonsus Maria de' Liguori obiit Nuceriae Paganorum, in Italia, die 1 augusti 1787. Canonizatus est anno 1839, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano eodem anno, die 2 augusti celebrandum.

2 S. Eusebii Vercellensis

Depositio S. Eusebii Vercellis, in Italia, die 1 augusti 371, recolitur a Martyrologio hieronymiano. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1602, die 15 decembris celebrandum, qua die episcopus ordinatus est (circa an. 345); ob octavam Conceptionis B. M. V., anno 1728 in diem 16 decembris translatum est.

4 S. Ioannis Mariae Vianney

S. Ioannes Maria Vianney obiit in vico cui nomen Ars, in Gallia, die 4 augusti 1859. Canonizatus est anno 1925, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1928, die 9 augusti celebrandum, ac postea in diem 8 augusti translatum ob vigiliam S. Laurentii (1960).

5 In dedicatione Basilicae B. M. V.

7 Ss. Xysti II et sociorum

Dedicatio Basilicae S. Mariae die 5 augusti, tempore Xysti papae III (432-440), recensetur in Martyrologio hieronymiano. Legenda fundationis basilicae S. Mariae Maioris hanc memoriam localem sub titulo « Dedicationis B. M. V. ad nives » pervulgavit saeculo XIV. Festum ascriptum est in Calendario romano anno 1568.

Martyrium Ss. Xysti II, papae, eiusque quattuor diaconorum, die 6 augusti 258, testificatur Epistula LXXX S. Cypriani, qui die 14 sequentis mensis septembris capite plectendus erat. Eorum autem depositionem in coemeterio Callisti testatur pariter hac die *Depositio Martyrum* (354). Illorum gloriosorum Martyrum memoria anticipatur ob festum Transfigurationis.

6 In Transfiguratione Domini

Transfiguratio Domini celebratur die 6 augusti in ritibus syro, tum occidentali tum orientali, byzantino et copto, dominica vero sequenti in ritu armeno. Festum in Occidente divulgatum est saeculo XI et ascriptum est in Calendario romano anno 1457.

7 S. Dominici

S. Dominicus obiit Bononiae die 6 augusti 1221. Canonizatus est anno 1234, eiusque festum statim ascriptum est in Calendario romano die 5 augusti celebrandum. Inducto vero festo Dedicationis B. M. V. ad nives (1568), in diem 4 eiusdem mensis translatum est.

8 S. Caietani

S. Caietanus obiit Neapoli die 7 augusti 1547. Canonizatus est anno 1671 eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1673. Ad diem 8 augusti transfertur eius memoria ob occurrentiam cum memoria obligatoria S. Dominici.

10 S. Laurentii

Depositionem S. Laurentii die 10 augusti in agro Verano, via Tiburtina, testificatur *Depositio Martyrum* (354).

11 S. Clarae

S. Clara obiit Assisii die 11 augusti 1253. Canonizata est anno 1255, eiusque festum statim ascriptum est in Calendario romano die 12 augusti celebrandum.

13 Ss. Pontiani et Hippolyti

Translationem S. Pontiani in coemeterium Callisti et S. Hippolyti in suum coemeterium via Tiburtina, die 13 augusti, testificatur *Depositio Martyrum* (354). Saeculo autem XII, S. Pontianus ascriptus est in Calendario romano, die 19 novembris colendus, pridie eius memoriam in Martyrologio Flori.

15 In Assumptione B. M. V.

Iam saeculo V die 15 augusti agebatur Hierosolymis Memoria S. Dei Genetricis. Saeculo vero VI sollemnitas per omnes orientales regiones divulgata est tamquam *Dormitio sanctae Mariae* et eodem titulo recepta est Romae circa medium saeculum VII, ac tandem saeculo VIII celebrata est uti *Assumptio beatae Mariae.*

16 S. Stephani Hungariae

S. Stephanus, rex Hungariae, obiit Albae Regali in Hungaria die 15 augusti 1038. Canonizatus est anno 1083. Anno 1631 eius commemoratio ascripta est in Calendario romano, die 20 augusti agenda, in festo S. Bernardi; postea vero, anno 1687, reposita est ut festum in diem 2 septembris.

19 S. Ioannis Eudes

S. Ioannes Eudes obiit Cadomi, in Gallia, die 19 augusti 1680. Canonizatus est anno 1925, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1928.

20 S. Bernardi

S. Bernardus obiit in monasterio Claraevallis, in Gallia, die 20 augusti 1153. Canonizatus est anno 1174, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano saeculo XIII.

21 S. Pii X

S. Pius X obiit Romae die 20 augusti 1914. Canonizatus est anno 1954, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1955, die 3 septembris celebrandum.

22 B. M. V. Reginae

Festum B. M. V. Reginae institutum est a Pio XII anno 1955, die 31 maii celebrandum. Memoria B. M. V. sub eodem titulo celebrabitur die 22 augusti, quo clarius manifestetur nexus inter Regalitatem sanctae Dei Genetricis et eius Assumptionem.

23 S. Rosae de Lima

S. Rosa a Sancta Maria obiit Limae, in Peruvia, die 24 augusti 1617. Canonizata est anno 1671, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1727, die 30 augusti celebrandum.

24 S. Bartholomaei

In ritu byzantino celebratur die 25 augusti memoria translationis corporis S. Bartholomaei. Calendaria medii aevi inde a saeculo IX festum S. Bartholomaei recensent tum die 24 tum die 25 augusti. Inde ab anno 1568 festum ascribitur in Calendario romano die 24 augusti.

25 S. Ludovici

S. Iosephi Calasanz

S. Ludovicus obiit prope Tunetum, in Africa septentrionali, die 25 augusti 1270. Canonizatus est anno 1297, eiusque festum ascriptum est statim in Calendario romano.

S. Iosephus Calasanz obiit Romae die 25 augusti 1648. Canonizatus est anno 1767, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1769, die 27 augusti celebrandum.

27 S. Monicae

Saeculo xv Eremitae Ordinis S. Augustini recensebant die 5 maii conversionem S. Augustini. Elegerunt deinde pridie huius diei, i. e. diem 4 maii, ad memoriam agendam S. Monicae, cuius dies natalis ignoratur. Festum vero S. Monicae ascriptum est in Calendario Romano circa annum 1550, eadem die celebrandum.

28 S. Augustini

Depositionem S. Augustini Hippone Regio, in Africa septentrionali, die 28 augusti 430 testatur Victorinus Vitensis, exeunte saeculo v. Festum S. Augustini celebratur Romae eadem die, saltem a saeculo VIII.

29 In Passione S. Ioannis Baptistae

Memoria agebatur S. Ioannis Baptistae die 29 augusti Hierosolymis iam saeculo v, cum probabilius eadem die anniversarium haberetur dedicationis basilicae in honorem Praecursoris Domini Sebaste in Samaria aedificatae. Saeculis autem VI et VII festum divulgatum est tum in Oriente tum in Occidente titulo Passionis vel Decollationis S. Ioannis Baptistae.

SEPTEMBER

3 S. Gregorii Magni

Festum S. Gregorii Magni inde a saeculo VIII Romae semper celebratum est die eius depositionis, i. e. die 12 martii (604). Cum autem haec dies semper incidat in Quadragesima, memoria S. Gregorii in diem 3 septembris reponitur, qua die episcopus ordinatus est anno 590.

8 In Nativitate B. M. V.

Festum diei 8 septembris in honorem B. M. V. pari ratione ac sollemnitas diei 15 augusti ortum habuit Hierosolymis. Agitur de festo basilicae *Sanctae Mariae ubi nata est* (exeunte saeculo v), nunc autem basilicae sanctae Annae. Saeculo VII vero apud Byzantinos et Romae hac die celebratur Nativitas B. M. V. Festum pariter celebratur die 8 septembris apud Syros, die vero 7 septembris apud Coptos.

13 S. Ioannis Chrysostomi

S. Ioannes Chrysostomus obiit Cumanae in Ponto die 14 septembris 407, die qua celebratur Exaltatio sanctae Crucis. Apud Syros festum

S. Ioannis agitur pridie huius diei, dum Byzantini et Copti id transtulerunt ad diem 13 novembris. Romae vero, inde a saeculo XIII, S. Ioannes Chrysostomus recolitur die 27 ianuarii, in anniversario translationis eius corporis Constantinopolim (438).

14 In Exaltatione S. Crucis

Hierosolymis, iam saeculo V, postridie festum Dedicationis basilicae Resurrectionis (die 13 septembris 335), lignum sanctae Crucis populo ostendebatur. Exinde ortum ducit festum huius diei, quod magna celebritate in omnibus Orientalibus ritibus peragitur. Romae saeculo VII receptum est.

15 B. M. V. Perdolentis

Festum B. M. V. Perdolentis, primo indultum Ordini Servorum B. M. V. anno 1667, ascriptum est in Calendario romano anno 1814 tertia dominica septembris celebrandum. Anno vero 1913 in diem 15 septembris repositum est.

16 Ss. Cornelii et Cypriani

Passio S. Cypriani refert eum securi percussum esse Carthagine die 14 septembris 258. Quod confirmat *Depositio Martyrum* (354), quae testatur cultum S. Cypriani Romae iam medio saeculo IV exstitisse.

S. Cornelius in exilio apud Centumcellas, in Italia, obiit, mense iunio anni 253. Iam medio saeculo IV eius memoria consociata apparet cum memoria S. Cypriani. Libri autem liturgici romani unum tantum formularium semper pro duobus sanctis praebuerunt.

Festum Ss. Cornelii et Cypriani a Gregorio IX (1370-1378) ad diem 16 septembris translatum est, ob Exaltationem sanctae Crucis (die 14 sept.) et octavam Nativitatis B. M. V. (die 15 sept.).

17 S. Roberti Bellarmino

S. Robertus Bellarmino obiit Romae die 17 septembris 1621. Canonizatus est anno 1930, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1932, die 13 maii celebrandum.

19 S. Ianuarii

Depositio S. Ianuarii die 19 septembris Puteoli prope Neapolim recolitur in Martyrologio hieronymiano. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1586.

21 S. Matthaei

S. Matthaeus recolitur die 21 septembris in Martyrologio hieronymiano, qua die eius festum celebratur Romae a saeculo IX. Apud Coptos commemoratur die 9 octobris, apud Syros vero et Byzantinos die 16 novembris.

26 Ss. Cosmae et Damiani

Felix IV (525-530) basilicam in honorem Ss. martyrum orientalium Cosmae et Damiani ad Forum dedicavit. Festum autem in libris liturgicis ascriptum saeculo VII die 27 septembris hanc dedicationem probabilius commemorat. Cultus Ss. Cosmae et Damiani nostris quoque diebus tum in Oriente tum in Occidente popularis est; eorum tamen memoria anticipata est ob natale S. Vincentii de Paul.

27 S. Vincentii de Paul

S. Vincentius de Paul obiit Parisiis die 27 septembris 1660. Canonizatus est anno 1737, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano eodem anno, die 19 iulii celebrandum.

28 S. Wenceslai

S. Wenceslaus martyr occubuit Boleslaviae, in Bohemia, die 28 septembris 929 et statim ut sanctus honoratus est. Eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1670.

29 Ss. Michaëlis, Gabrielis et Raphaëlis, archangelorum

Dedicatio basilicae S. Michaëlis via Salaria, saeculo V, recolitur die 29 septembris in Martyrologio hieronymiano. Mentio huius dedicationis nunc tollitur, et S. Michaëlis nomini adduntur nomina Ss. Gabrielis et Raphaëlis, qui ab anno 1921 celebrabantur respective die 24 martii et 24 octobris.

30 S. Hieronymi

Depositio S. Hieronymi die 30 septembris 420 in Bethleem consignata est in Prosperi Aquitani Chronico et in Martyrologio hieronymiano. Eius festum Romae a saeculo VIII celebratur.

OCTOBER

1 S. Teresiae a Iesu Infante

S. Teresia a Iesu Infante obiit Lexoviis, in Gallia, die 30 septembris 1897. Canonizata est anno 1925, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1927, die 3 octobris celebrandum.

2 Ss. Angelorum Custodum

Festum Ss. Angelorum Custodum, indultum pluribus ecclesiis saeculo XVI, ascriptum est in Calendario romano anno 1615, die 2 octobris celebrandum.

4 S. Francisci Assisiensis

S. Franciscus obiit Assisii ad vesperum diei 3 octobris 1226. Canonizatus est anno 1228, eiusque festum statim ascriptum est in Calendario romano, die 4 octobris celebrandum.

6 S. Brunonis

S. Bruno obiit Turris, in Italia, die 6 octobris 1101. Quamvis numquam formaliter canonizatus fuisset, eius nomen ascriptum est in Calendario romano anno 1623.

7 B. M. V. a Rosario

Festum B. M. V. a Rosario, institutum anno 1573 in gratiarum actionem pro victoria Naupacto a christiano exercitu consecuta, ascriptum est in Calendario romano anno 1716, dominica prima octobris celebrandum; anno tamen 1913 diei 7 eiusdem mensis assignatum est.

9 Ss. Dionysii et sociorum

S. Ioannis Leonardi

Depositio Ss. Dionysii eiusque sociorum prope Lutetiam Parisiorum die 9 octobris in Martyrologio hieronymiano recolitur. Eorum festum Romae a saeculo XI celebratur.

S. Ioannes Leonardi obiit Romae die 9 octobris 1609. Canonizatus est anno 1938, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1940.

14 S. Callisti I

Depositionem S. Callisti in coemeterio Calepodii, via Aurelia, die 14 octobris 222, testatur *Depositio Martyrum* (354).

15 S. Teresiae de Avila

S. Teresia obiit Abulae, in Hispania, nocte a die 4 ad diem 15 octobris 1582, qua effecta est reformatio Calendarii gregoriana. Canonizata est anno 1622, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1636.

16 S. Hedwigis

S. Margaritae Mariae Alacoque

S. Hedwiges obiit Trebnici, in Polonia, die 15 octobris 1243. Canonizata est anno 1267, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1680, die 17 octobris celebrandum. Inducto autem festo S. Margaritae Mariae anno 1929, ad diem 16 translatum est.

S. Margarita Maria Alacoque obiit Paredii, in Gallia, die 17 octobris 1690. Canonizata est anno 1920, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1929. Eius tamen memoria anticipatur ob natale S. Ignatii Antiocheni.

17 S. Ignatii Antiocheni

S. Ignatius Antiochenus martyr occubuit Romae anno fere 107. Eius festum apud Syros celebratur die 17 octobris, qua die recensetur in Breviario syriaco saeculi IV exeuntis. In Martyrologio autem Adonis invenitur die 1 februarii, eademque die colitur Romae a saeculo XII.

18 S. Lucae

Festum S. Lucae tum in Oriente tum in Occidente die 18 octobris recolitur, Romae vero a saeculo IX.

19 Ss. Isaac Jogues et sociorum

S. Pauli a Cruce

S. Isaac Jogues et S. Ioannes de La Lande martyres occubuerunt in pago Auriesville, in America septentrionali, die 18 octobris 1647. Canonizati sunt anno 1930 cum aliis sex missionariis, qui martyrium subierunt inter annum 1642 et 1649.

S. Paulus a Cruce obiit Romae die 18 octobris 1775. Canonizatus est anno 1867, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1869, die 28 aprilis celebrandum.

23 S. Ioannis de Capistrano

S. Ioannes de Capistrano obiit apud Villackum, in ~~Yugoslavia,~~ Austria die 23 octobris 1456. Canonizatus est anno 1690, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1890, die 28 martii celebrandum.

24 S. Antonii Mariae Claret

S. Antonius Maria Claret obiit apud Fontem Frigidum, in Gallia, die 24 octobris 1870. Canonizatus est anno 1950, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1960, die 23 octobris celebrandum.

28 Ss. Simonis et Iudae

Festum Ss. Simonis et Iudae die 28 octobris recolitur in Calendario hieronymiano, eademque die Romae celebratur a saeculo IX. In ritibus orientalibus separatim coluntur S. Simon et S. Iudas, Simon die 10 maii et Iudas die 19 iunii.

NOVEMBER

1 Omnium Sanctorum

Ecclesiae orientales inde a saeculo IV omnes sanctos Martyres in una sollemnitate sive tempore paschali (apud Syros), sive immediate post Pentecosten (apud Byzantinos) commemorant. Exeunte saeculo VIII, sollemnitas omnium Sanctorum celebrari coepta est etiam in regionibus celticis et apud Francos. Saeculo autem IX Romae recepta est.

2 Omnium Fidelium defunctorum

Commemoratio omnium Fidelium defunctorum postridie sollemnitatem omnium Sanctorum Cluniaci, anno 998, a S. Odilone instituta est. Influxu monachorum Cluniacensium largius diffusa est durante saeculo XI; attamen Romae celebrata est tantum a saeculo XIV.

3 S. Martini de Porres

S. Martinus de Porres obiit Limae, in Peruvia, die 3 novembris 1639. Canonizatus est anno 1962. Eius cultus valde popularis evulgatur in tota America.

4 S. Caroli Borromeo

S. Carolus obiit Mediolani die 3 novembris 1584. Canonizatus est anno 1610, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1613, die 4 novembris celebrandum.

9 In Dedicatione Basilicae Lateranensis

Quamvis dies ignoretur dedicationis basilicae constantinianae (circa annum 324), recolitur tamen die 9 novembris in Calendariis Urbis inde a saeculo XI.

10 S. Leonis Magni

Depositio S. Leonis Magni die 10 novembris 461 recolitur hac die in Martyrologio hieronymiano et in Calendario S. Willibrordi (saec. VIII inc.). Eius festum Romae celebrabatur in vigilia Ss. Petri et Pauli, die 28 iunii, qua die eius corpus in basilicam Vaticanam translatum est a Sergio I (687-701). Saeculo autem XII festum, ascriptum in libris gallicanis die 11 aprilis, Romam inductum est.

11 S. Martini Turonensis

Depositio S. Martini Turonis, in Gallia, die 11 novembris 397 recolitur in Martyrologio hieronymiano, eiusque festum Romae celebratur a saeculo VI.

12 S. Iosaphat

S. Iosaphat martyr occubuit Vitepsci, in Bielorussia, die 12 novembris 1623. Canonizatus est anno 1867, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1882, die 14 novembris celebrandum.

15 S. Alberti Magni

S. Albertus Magnus obiit Coloniae die 15 novembris 1280. Canonizatus est anno 1931, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno sequenti (1932).

16 S. Margaritae Scotiae

S. Gertrudis

S. Margarita Scotiae obiit Edimburgi die 16 novembris 1093 et tumulata est in Dunfermline. Die 19 iunii 1250 facta est elevatio eius corporis. Festum S. Margaritae ascriptum est in Calendario romano anno 1673, die 10 iunii celebrandum.

S. Gertrudes obiit Helpithi prope Islebium, in Germania, die 17 novembris circa annum 1302. Quamvis numquam formaliter canonizata fuisset, eius festum ascriptum est in Calendario romano anno 1738. Anno vero sequente (1739) ad diem 15 novembris translatum est, et tandem anno 1932, inducto festo S. Alberti Magni, ad diem 16 eiusdem mensis repositum est.

17 S. Elisabeth Hungariae

S. Elisabeth Hungariae obiit Marburgi, in Germania, die 17 novembris 1231. Canonizata est anno 1235, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1670, die 19 novembris celebrandum, qua die eius corpus tumulatum est.

18 In Dedicatione basilicarum Ss. Petri et Pauli

Dedicatio basilicarum Ss. Petri et Pauli die 18 novembris Romae recolitur a saeculo XI. Hodierna basilica Vaticana die 18 novembris 1626 consecrata est; basilica Ostiensis vero die 10 decembris 1854.

21 In Praesentatione B. M. V.

Festum Praesentationis B. M. V. originem ducit e dedicatione basilicae Sanctae Mariae Novae, quae Hierosolymis aedificata fuerat prope Templum (543). Quamvis haec basilica a saeculis destructa sit, festum

Praesentationis B. M. V. per totum Orientem celebratur. Receptum est in Calendario Capellae Papalis Avenioni anno 1373; suppressum vero a Pio V anno 1568, denuo ascriptum est in Calendario romano anno 1585.

22 S. Caeciliae

Festum S. Caeciliae die 22 novembris in eius basilica trans Tiberim agebatur iam anno 545, teste *Libro Pontificali.* Titulus Caeciliae certissime anterior est anno 313.

23 S. Clementis I

S. Columbani

Depositio S. Clementis I die 23 novembris recolitur a Martyrologio hieronymiano omnibusque libris liturgicis romanis, dum eius memoria agitur die sequenti apud Byzantinos.

Depositio S. Columbani Bobii, in Italia, die 23 novembris anno 615 in antiquioribus manuscriptis Martyrologii hieronymiani recolitur. Eius cultus pluribus in regionibus est vulgatus.

30 S. Andreae

Festum S. Andreae ab omnibus calendariis tum orientalibus tum occidentalibus die 30 novembris recensetur. Romae iam invenitur saeculo VI.

DECEMBER

3 S. Francisci Xavier

S. Franciscus Xavier obiit in Sanciano, Sinarum insula, die 3 decembris 1552. Canonizatus est anno 1622, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1663.

4 S. Ioannis Damasceni

Depositio S. Ioannis Damasceni prope Hierosolymas die 4 decembris in ritu byzantino memoratur, qua die valde probabiliter sanctus obiit circa annum 749. Eius vero festum ascriptum est in Calendario romano anno 1890, die 27 martii celebrandum.

6 S. Nicolai

Depositio S. Nicolai Myrae, in Lycia, die 6 decembris in ritibus byzantino et copto celebratur. Eius festum per Occidentem inde a saeculo X

diffusum est, maxime post eius reliquiarum translationem Barium, in Italia, anno 1087.

7 S. Ambrosii

S. Ambrosius obiit Mediolani sabbato sancto die 4 aprilis 397. At sive Mediolani, sive Romae, sive apud Byzantinos, propter sollemnitates paschales, eius festum die 7 decembris celebratur, qua die episcopus ordinatus est (374). Eius nomen ascriptum est in Calendario romano saeculo XII.

8 In Conceptione Immaculata B. M. V.

Festum Conceptionis B. M. V. ascriptum est in Calendario romano anno 1476. Post definitionem dogmaticam anni 1854 factum est festum *Immaculatae Conceptionis.*

11 S. Damasi I

Depositio S. Damasi in eius coemeterio via Ardeatina die 11 decembris 384 a *Libro Pontificali* recensetur. Ipsius festum saeculo XI evulgatum est.

12 S. Ioannae Franciscae de Chantal

S. Ioanna Francisca de Chantal obiit Molini, in Gallia, die 13 decembris 1641. Canonizata est anno 1767, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1769, die 21 augusti celebrandum. Memoria nunc S. Franciscae anticipatur ob natale S. Luciae.

13 S. Luciae

Depositio S. Luciae Syracusis, in Sicilia, die 13 decembris in Martyrologio hieronymiano recolitur. Eius festum Romae saeculo VI receptum est.

14 S. Ioannis a Cruce

S. Ioannes a Cruce obiit Ubedae, in Hispania, die 14 decembris 1591. Canonizatus est anno 1726, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1738, die 14 novembris celebrandum.

21 S. Petri Canisii

S. Petrus Canisius obiit Friburgi Helvetiorum die 21 decembris 1597. Canonizatus est anno 1925, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno sequenti (1926), die 27 aprilis celebrandum.

23 S. Ioannis de Kęty

S. Ioannes de Kęty obiit Cracoviae, in Polonia, nocte Nativitatis Domini anno 1473. Canonizatus est anno 1767, eiusque festum ascriptum est in Calendario romano anno 1770, die 20 octobris celebrandum.

25 In Nativitate Domini

Sollemnitas Nativitatis Domini instituta est Romae anno circiter 330. Antiquior testis Natalis Domini invenitur in *Depositione Martyrum* anni 354.

26 S. Stephani

Festum S. Stephani die 26 decembris recolitur in Breviario syriaco saeculi IV exeuntis et in Martyrologio hieronymiano. In omnibus vero ritibus orientalibus longo iam tempore translatum est in diem sequentem.

27 S. Ioannis

Festum S. Ioannis die 27 decembris recolitur in Breviario syriaco et in Martyrologio hieronymiano. Nunc diversis diebus celebratur in ritibus orientalibus: die 29 decembris apud Armenos, die 30 eiusdem mensis apud Coptos, die 7 maii apud Syros et die 26 septembris apud Byzantinos.

28 Ss. Innocentium

Festum Ss. Innocentium die 28 decembris recolitur in Martyrologio hieronymiano. Die vero sequenti celebratur in ritibus syro, byzantino et copto.

29 S. Thomae Bęcket

S. Thomas Becket martyr occubuit Cantuariae, in Anglia, die 29 decembris 1170. Canonizatus est anno 1173, eiusque festum statim per occidentales regiones diffusum est.

31 S. Silvestri I

Depositio S. Silvestri in coemeterio Priscillae die 31 decembris 335 in *Depositione Episcoporum* (354) recensetur. Eius festum inde a saeculo V celebratur.

II

VARIATIONES IN CALENDARIUM ROMANUM INDUCTAE

IANUARIUS

1 Octava Nativitatis Domini

Octavae Nativitatis additur commemoratio explicita divinae Maternitatis B. M. V., de qua iam agebatur in pluribus orationibus, antiphonis et responsoriis Officii.

5 S. Telesphori

Memoria S. Telesphori, anno 1602 in Calendario romano ascripta, expungitur: die enim 5 ianuarii non recensetur in Martyrologio hieronymiano Papa huius nominis sed aliquis martyr afer ignotus.

6 In Epiphania

Nil mutatur.

11 S. Hygini

Memoria S. Hygini, saeculo XII in Calendario romano ascripta, expungitur: nullo enim iure martyrum numero S. Hyginus est computandus, eiusque natalis dies ignoratur.

13 In Commemoratione Baptismatis Domini

Festum Baptismatis Domini dominica post Epiphaniam, seu post diem 6 ianuarii, celebrabitur.

14 S. Hilarii

S. Felicis

Memoria S. Hilarii die eius natali, 13 ianuarii (367), reponitur.

Memoria S. Felicis, qui floruit Nolae ibique obiit circa annum 250, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur: S. Felix vero fuit confessor fidei, sed martyrium non subiit.

15 S. Pauli, primi eremitae

S. Mauri

Memoria S. Pauli, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: multae enim inveniuntur difficultates sub respectu historico de *Vita S. Pauli* a S. Hieronymo conscripta.

Memoria S. Mauri, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur. S. Maurus, S. Benedicti discipulus, de quo tractatur in Dialogis S. Gregorii Magni, nunc ab omnibus distinguitur a Mauro Glannofoliensi, in territorio Andegavensi in Gallia, de quo agitur in Martyrologio romano.

16 S. Marcelli

Memoria S. Marcelli, papae non tamen martyris († Romae anno 309), quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente » (Const. *Sacrosanctum Concilium*, art. 111).

17 S. Antonii

Nil mutatur.

18 S. Priscae

Memoria S. Priscae, quamvis antiqua, Calendario eius basilicae titularis in Aventino relinquitur: Acta S. Priscae non sunt fabulosa tantum, sed neque propria.

19 Ss. Marii, Marthae, Audifacis et Abacum

S. Canuti

Memoria sanctorum Martyrum, saeculo IX in Calendario romano ascripta, expungitur: de his enim martyribus solummodo cognoscuntur nomina, Marius, Martha, Audifax et Abacum, locus eorum depositionis, coemeterium *Ad Nymphas* in via Cornelia, et depositionis dies, 19 vel 20 ianuarii.

Memoria S. Canuti, martyris († in Dania die 10 iulii 1086), anno 1670 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

20 Ss. Fabiani et Sebastiani

Utriusque martyris memoria separatim celebratur cum formulariis propriis secundum antiquam traditionem romanam.

21 S. Agnetis

Nil mutatur.

22 Ss. Vincentii et Anastasii

Nil mutatur quoad memoriam S. Vincentii, sed memoria S. Anastasii, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur. S. Anastasius Hierosolymis martyr occubuit anno 628, eiusque cultus Romam inductus est ratione translationis reliquiarum in basilicam S. Vincentii « Ad aquas salvias », via Laurentina.

23 S. Raymundi de Penyafort

S. Emerentianae

Memoria S. Raymundi de Penyafort die 7 ianuarii, postridie eius natalem (die 6 ianuarii 1275), reponitur.

Memoria S. Emerentianae, saeculo IX in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: praeter nomen, de S. Emerentiana solummodo cognoscitur quod deposita sit via Nomentana, in Coemeterio Maiori die 23 ianuarii.

24 S. Timothei

Memoria S. Timothei, cum memoria S. Titi coniuncta, die 26 ianuarii recolitur, quia die 24 eiusdem mensis fit memoria depositionis S. Francisci de Sales.

25 In Conversione S. Pauli

Commemoratio S. Petri expungitur.

26 S. Polycarpi

Memoria S. Polycarpi, episcopi Smyrnensis, die eius natali 23 februarii (155) reponitur: dies 26 ianuarii natalis est S. Polycarpi Nicaeni.

27 S. Ioannis Chrysostomi

Memoria S. Ioannis Chrysostomi die 13 septembris, pridie eius natalem (die 14 septembris 407) reponitur.

28 S. Petri Nolasci

S. Agnetis secundo

Memoria S. Petri Nolasci († die 25 decembris 1256), anno 1664 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria S. Agnetis « secundo », vel « de eius nativitate » ut legitur in Sacramentario Gelasiano, expungitur: geminat enim memoriam die 21 huius mensis celebratam.

29 S. Francisci Salesii

Memoria S. Francisci de Sales, qui obiit Lugduni die 28 decembris 1623, die 24 ianuarii recolitur, qua die eius corpus Annecii depositum est (1624).

30 S. Martinae

Memoria S. Martinae, anno 1635 in Calendario romano ascripta, Calendario basilicae titularis relinquitur: de S. Martina nihil traditum est, praeter nomen mulieris sub cuius titulo papa Donus (676-678) basilicam dedicavit in Foro romano.

31 S. Ioannis Bosco

Nil mutatur.

Dominica a die 2 ad diem 5 ianuarii occurrente: **SS.mi Nominis Iesu**

Festum SS.mi Nominis Iesu, anno 1721 in Calendario romano ascriptum, supprimitur, cum iam de SS.mi Nominis Iesu impositione agatur in Officio octavae Nativitatis. Attamen Missa de SS.mo Nomine Iesu inter Missas votivas reponitur.

Dominica I post Epiphaniam: **S. Familiae Iesu, Mariae et Ioseph**

Festum S. Familiae dominica infra octavam Nativitatis reponitur, ut dominica post Epiphaniam festum Baptismatis Domini celebrari possit.

FEBRUARIUS

1 S. Ignatii

Memoria S. Ignatii Antiocheni die eius natali 17 octobris (circa annum 107) reponitur.

2 In Purificatione B. M. V.

Mutatur titulus festi huius diei: dicitur « In Praesentatione Domini », quo manifestius intelligi possit quod agitur de festivitate Domini.

3 S. Blasii

Nil mutatur.

4 S. Andreae Corsini

Memoria S. Andreae Corsini († Florentiae die 6 ianuarii 1374), anno 1666 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relin-

quitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

5 S. Agathae

Nil mutatur.

6 S. Titi

S. Dorotheae

Memoria S. Titi, cum memoria S. Timothei coniuncta, die 26 ianuarii reponitur, ut duo discipuli S. Pauli simul colantur postridie Conversionem Apostoli.

Memoria S. Dorotheae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, expungitur: Acta S. Dorotheae sunt omnino fabulosa; videtur martyrium subiisse in Caesarea Cappadociae.

7 S. Romualdi

Memoria S. Romualdi die eius natali 19 iunii (1027) reponitur.

8 S. Ioannis de Matha

Memoria S. Ioannis de Matha († Romae die 17 decembris 1213), anno 1679 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

9 S. Cyrilli Alexandrini

S. Apolloniae

Memoria S. Cyrilli Alexandrini die eius natali, 27 iunii (444), iuxta Byzantinos, reponitur.

Memoria S. Apolloniae, virginis et martyris Alexandrinae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: quamvis agatur de martyre vere authentica persecutionis Decii (248-249), nulla tamen eius exstat commemoratio in Calendariis orientalibus.

10 S. Scholasticae

Nil mutatur.

11 In Apparitione B. M. V. Immaculatae

Mutatur titulus memoriae huius diei, quae abhinc dicetur « B. M. V. de Lapurdo » quo manifestius videatur obiectum celebrationis esse ipsam beatam Mariam Virginem, non factum historicum eius apparitionum.

12 Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.

Memoria septem Fundatorum O.S.M. reponitur die natali unius ex ipsis, S. Alexii Falconieri, qui dicitur obiisse die 17 februarii 1310.

14 S. Valentini

Memoria S. Valentini, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de S. Valentino, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod depositus sit via Flaminia die 14 februarii.

15 Ss. Faustini et Iovitae

Memoria Ss. Faustini et Iovitae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, expungitur: agitur de martyribus Brixiensibus, Faustino et Iuventia nomine, de quibus exstant Acta omnino fabulosa; in iis Iovita diaconus habetur, quamquam mulier erat.

18 S. Simeonis

Memoria S. Simeonis, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia iste antiquus martyr hierosolymitanus, cuius festum apud Byzantinos die 27 aprilis agitur, non est momenti revera universalis.

22 Cathedrae S. Petri

Commemoratio S. Pauli expungitur.

23 S. Petri Damiani

Memoria S. Petri Damiani († die 22 februarii 1072) die 21 eiusdem mensis reponitur, quia dies 23 natalis est S. Polycarpi.

24 S. Matthiae

Festum S. Matthiae die 14 maii reponitur, ita ut extra Quadragesimam, et quidem circa Ascensionem, celebretur.

27 S. Gabrielis a Virgine Perdolente

Memoria S. Gabrielis a Virgine Perdolente († Insulae, in Aprutio, anno 1862), anno 1932 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

MARTIUS

4 S. Casimiri

S. Lucii I

Quoad S. Casimirum nil mutatur.

Memoria S. Lucii († Romae 254), anno 1602 in Calendario romano ascripta, expungitur: nullo enim iure S. Lucius martyrum numero est computandus: inscribitur enim in *Depositione episcoporum* (354).

6 Ss. Perpetuae et Felicitatis

Memoria Ss. Perpetuae et Felicitatis die eorum natali, 7 martii (202 vel 203), reponitur.

7 S. Thomae de Aquino

Memoria S. Thomae de Aquino († die 7 martii 1274), cum saepe in Quadragesima occurrat, die 28 ianuarii, eius translationis die Tolosam (1369), reponitur.

8 S. Ioannis a Deo

Nil mutatur.

9 S. Franciscae Romanae

Nil mutatur.

10 Ss. Quadraginta Martyrum

Memoria Ss. Quadraginta Martyrum, saeculo XII in Calendario romano ascripta, supprimitur: non paucae difficultates ortae sunt de veracitate eorum Actuum.

12 S. Gregorii Magni

Memoria S. Gregorii Magni († die 12 martii 604), cum semper in Quadragesima occurrat, die 3 septembris, eius ordinationis die (590), reponitur.

17 S. Patricii

Nil mutatur.

18 S. Cyrilli Hierosolymitani

Nil mutatur.

19 S. Ioseph

Nil mutatur. Attamen Conferentiis Episcopalibus facultas tribuitur sollemnitatem S. Ioseph ad aliam diem extra Quadragesimam transferendi.

21 S. Benedicti

Memoria S. Benedicti († die 21 martii 547), cum semper in Quadragesima occurrat, die 11 iulii reponitur, qua die in multis regionibus a saeculo VIII celebratur.

24 S. Gabrielis

Festum S. Gabrielis, anno 1921 in Calendario romano ascriptum, coniungitur cum festo Ss. Archangelorum Michaëlis et Raphaëlis, die 29 septembris celebrando.

25 In Annuntiatione B. M. V.

Mutatur aliquo modo titulus sollemnitatis: dicitur: « In Annuntiatione Domini », quo manifestius intellegi possit quod agitur praecipue de sollemnitate Domini.

27 S. Ioannis Damasceni

Memoria S. Ioannis Damasceni die eius natali, 4 decembris (circa 749), reponitur.

28 S. Ioannis de Capistrano

Memoria S. Ioannis de Capistrano die eius natali, 23 octobris (1456), reponitur.

Feria VI post dominicam I Passionis: **Septem Dolorum B. M. V.**

Commemoratio Septem Dolorum B. M. V., anno 1727 in Calendario romano hac die ascripta, supprimitur, uti geminatio festi sub eodem titulo die 15 septembris agendi.

APRILIS

2 S. Francisci de Paula

Nil mutatur.

4 S. Isidori

Nil mutatur.

5 S. Vincentii Ferrerii

Nil mutatur.

11 S. Leonis I

Memoria S. Leonis Magni die eius natali, 10 novembris (461), reponitur.

13 S. Hermenegildi

Memoria S. Hermenegildi († Hispali anno 586), anno 1632 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

14 S. Iustini

Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi

Memoria S. Iustini, dum eius natalis dies ignoretur, die 1 iunii reponitur, qua die apud Byzantinos colitur.

Memoria Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de iis, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sunt via Appia in Coemeterio Praetextati, die 14 aprilis.

17 S. Aniceti

Memoria S. Aniceti, saeculo XII in Calendario romano ascripta, supprimitur: nullo enim iure S. Anicetus martyrum numero est computandus, eiusque natalis dies ignoratur.

21 S. Anselmi

Nil mutatur.

22 Ss. Soteris et Caii

Memoria S. Soteris († circa an. 175) et S. Caii (die 22 aprilis 296), saeculo XIII in Calendario romano ascripta, expungitur: nullo enim iure martyrum numero S. Soter et S. Caius sunt computandi. S. Caius inscribitur in *Depositione episcoporum* (354); S. Soteris vero natalis dies ignoratur.

23 S. Georgii

Nil mutatur.

24 S. Fidelis de Sigmaringa

Nil mutatur.

25 Litania maior

Litania maior aboletur, dum fere idem habeat obiectum ac Litaniae minores seu Rogationes.

S. Marci

Nil mutatur.

26 Ss. Cleti et Marcellini

Memoria Ss. Cleti et Marcellini, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, expungitur: ignoratur dies depositionis S. Cleti, qui non videtur fuisse martyr; pariter disputatur de depositionis die S. Marcellini, qui obiit anno 304, dum acerbe saeviebat persecutio diocletianea.

27 S. Petri Canisii

Memoria S. Petri Canisii die eius natali, 21 decembris (1597), reponitur.

28 S. Pauli a Cruce

Memoria S. Pauli a Cruce die 19 octobris, postridie eius natale († die 18 octobris 1775), reponitur.

29 S. Petri

Memoria S. Petri Veronensis († prope Mediolanum die 6 aprilis 1252), anno 1586 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

30 S. Catharinae Senensis

Memoria S. Catharinae Senensis die eius natali, 29 aprilis (1380), reponitur.

MAIUS

1 S. Ioseph Opificis

Sollemnitas S. Ioseph Opificis, anno 1955 in Calendario romano ascripta, nunc fit memoria ad libitum, cum agatur praecipue de commemoratione secundaria S. Ioseph cum sic dicto « die laboris » coniuncta.

2 S. Athanasii

Nil mutatur.

3 Ss. Alexandri, Eventii et Theoduli, atque S. Iuvenalis

Memoria Ss. Alexandri, Eventii et Theoduli, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de iis, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sunt via Nomentana, miliario VII, die 3 maii.

Memoria S. Iuvenalis, episcopi narniensis non tamen martyris, similiter Calendariis particularibus relinquitur.

4 S. Monicae

Memoria S. Monicae die 27 augusti, pridie memoriam S. Augustini, reponitur.

5 S. Pii V

Memoria S. Pii V die 30 aprilis, pridie eius natale (die 1 maii 1572), reponitur.

7 S. Stanislai

Memoria S. Stanislai die eius natali, 11 aprilis (1079), reponitur.

9 S. Gregorii Nazianzeni

Memoria S. Gregorii Nazianzeni († die 25 ianuarii 389 vel 390) cum memoria S. Basilii Magni († die 1 ianuarii 379) coniungitur, die 2 ianuarii celebranda.

10 S. Antonini

Ss. Gordiani et Epimachi

Memoria S. Antonini († Florentiae die 2 maii 1459), anno 1683 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria Ss. Gordiani et Epimachi, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de iis, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sunt via Latina, in ipsorum coemeterio, die 10 iunii.

11 Ss. Philippi et Iacobi

Festum Ss. Philippi et Iacobi, die 1 maii Romae a saeculo VI celebratum, anno vero 1955 ad diem 11 eiusdem mensis translatum, die 3 maii reponitur, i. e. prima die libera post eorum antiquam festivitatem.

12 Ss. Nerei, Achillei et Domitillae, atque Pancratii

Memoria Ss. Nerei et Achillei, et memoria S. Pancratii separatim celebrantur cum formulariis propriis secundum antiquam traditionem romanam. Memoria vero S. Domitillae, anno 1595 in Calendario romano ascripta, expungitur, cum eius cultus nullum habeat fundamentum in traditione.

13 S. Roberti Bellarmino

Memoria S. Roberti Bellarmino die eius natali, 17 septembris (1621), reponitur.

14 S. Bonifatii

Memoria S. Bonifatii, saeculo XII in Calendario romano ascripta, expungitur: Passio S. Bonifatii Tarsensis est omnino fabulosa.

15 S. Ioannis Baptistae de la Salle

Memoria S. Ioannis Baptistae de la Salle die eius natali, 7 aprilis (1719), reponitur.

16 S. Ubaldi

Memoria S. Ubaldi († Eugubii anno 1160), anno 1605 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

17 S. Paschalis Baylon

Memoria S. Paschalis Baylon († apud Villam Regalem, in Hispania, anno 1592), anno 1784 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

18 S. Venantii

Memoria S. Venantii Camertis, anno 1670 in Calendario romano ascripta, Calendario locali relinquitur: non paucae difficultates ortae sunt de veracitate Actuum huius martyris.

19 S. Petri Caelestini

Memoria S. Petri Caelestini († prope Anagnium anno 1296), anno 1668 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente »: post suam canonizationem (anno 1313) S. Petrus de Morrone honoratus est potius ut eremita quam ut papa, teste Calendario Cappellae papalis saeculi XIV.

S. Pudentianae

Memoria S. Pudentianae, saeculo VIII in Calendario romano ascripta, Calendario basilicae titularis relinquitur: nil historice constat de Actis Ss. Pudentianae et Praxedis ad illustrandam originem tituli Pudentis et Praxedis compositis.

20 S. Bernardini Senensis

Nil mutatur.

25 S. Gregorii VII

S. Urbani I

Quoad S. Gregorium VII nil mutatur.

Memoria S. Urbani, quamvis antiqua, deletur: iuxta antiquos libros liturgicos non agitur de S. Urbano I, papa non tamen martyre, sed de episcopo martyre ignoto cuiusdam civitatis suburbanae.

26 S. Philippi Nerii

S. Eleutherii

Quoad S. Philippum nihil mutatur.

Memoria S. Eleutherii, saeculo XII in Calendario romano ascripta, expungitur: S. Eleutherius papa non videtur martyrium subiisse, et dies eius depositionis ignoratur.

27 S. Bedae

S. Ioannis I

Memoria S. Bedae die eius natali, 25 maii (735), reponitur.

Memoria S. Ioannis I die eius natali, 18 maii (526), reponitur.

28 S. Augustini

Memoria S. Augustini, die 27 maii, postridie eius natale (26 maii 604 vel 605) reponitur.

29 S. Mariae Magdalenae de Pazzis

Memoria S. Mariae Magdalenae de' Pazzi die eius natali, 25 maii (1607), reponitur.

30 S. Felicis I

Memoria S. Felicis I, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, supprimitur: iuxta antiquos libros liturgicos non agitur de S. Felice papa, cuius depositionis dies, 30 decembris (274), in *Depositione episcoporum* (354) recolitur, sed de S. Felice martyre via Aurelia sepulto.

31 B. M. V. Reginae

S. Petronillae

Memoria B. M. V. Reginae die 22 augusti reponitur, quo clarius manifestetur nexus inter Regalitatem B. M. V. eiusque Assumptionem.

Memoria S. Petronillae, saeculo VIII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia nil cognoscitur de ista virgine et martyre praeter nomen et depositionem in coemeterio Domitillae, via Ardeatina, die 31 maii.

IUNIUS

1 S. Angelae Mericiae

Memoria S. Angelae Merici die eius natali, 27 ianuarii (1540), reponitur.

2 Ss. Marcellini et Petri, atque Erasmi

De Ss. martyribus Marcellino et Petro nil mutatur. Memoria S. Erasmi, qui Formiis martyr occubuit, saeculo XI-XII in Calendario romano ascripta, Calendario locali relinquitur.

4 S. Francisci Caracciolo

Memoria S. Francisci Caracciolo († Agnone anno 1608), anno 1807 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

5 S. Bonifatii

Nil mutatur.

6 S. Norberti

Nil mutatur.

9 Ss. Primi et Feliciani

Memoria Ss. Primi et Feliciani, martyrum Praenestinorum, quorum reliquiae Romam anno 648 translatae sunt, Calendariis particularibus relinquitur.

10 S. Margaritae Scotiae

Memoria S. Margaritae die eius natali, 16 novembris (1093), reponitur.

11 S. Barnabae

Nil mutatur.

12 S. Ioannis a S. Facundo

Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii

Memoria S. Ioannis († S. Facundo, vulgo Sahagun, in Hispania, die 11 iunii 1479), anno 1729 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii, saeculo VIII in Calendario romano ascripta, expungitur. Horum enim Passio est omnino fabulosa. Agitur de tribus commemorationibus eadem die occurrentibus: celebrantur depositio S. Basilidis, martyris romani via Aurelia, translatio S. Cyrini, episcopi Sisciae (in Yugoslavia), via Appia, et dedicatio basilicae Ss. Naboris et Nazarii, martyrum mediolanensium, via Aurelia.

13 S. Antonii de Padua

Nil mutatur.

14 S. Basilii Magni

Memoria S. Basilii Magni die 2 ianuarii, postridie eius natale (die 1 ianuarii 379) reponitur.

15 Ss. Viti, Modesti atque Crescentiae

Memoria S. Viti, martyris in Lucania, quamvis antiqua, calendariis particularibus relinquitur. Modestus vero et Crescentia videntur esse personae ficticiae, quorum nomina saeculo XI in Calendario romano ascripta sunt.

17 S. Gregorii Barbadici

Memoria S. Gregorii Barbarigo († Patavii die 18 iunii 1697), anno 1960 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

18 S. Ephraem

Ss. Marci et Marcelliani

Memoria S. Ephraem die eius natali, 9 iunii (378), reponitur.

Memoria Ss. Marci et Marcelliani, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint via Ardeatina in coemeterio Balbinae, die 18 iunii.

19 S. Iulianae de Falconeriis

Ss. Gervasii et Protasii

Memoria S. Iulianae de' Falconieri († Florentiae anno 1341), anno 1738 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancta « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria Ss. Gervasii et Protasii, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus mediolanensibus nihil scitur praeter reliquiarum inventionem a S. Ambrosio, anno 386, factam.

20 S. Silverii

Memoria S. Silverii, qui obiit relegatus in insulam Palmariam anno 537, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

21 S. Aloisii Gonzagae

Nil mutatur.

22 S. Paulini Nolani

Nil mutatur.

23 Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae

De vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae fit solummodo ad libitum Missa vespertina more festivo.

24 In Nativitate S. Ioannis Baptistae

Nil mutatur.

25 S. Gulielmi

Memoria S. Gulielmi († prope Nuscum anno 1142) anno 1785 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

26 Ss. Ioannis et Pauli

Memoria Ss. Ioannis et Pauli, quamvis antiqua, Calendario basilicae titularis relinquitur: multae, ut patet, inveniuntur difficultates sub respectu historico de passione Ss. Ioannis et Pauli.

28 Vigilia Ss. Petri et Pauli

De vigilia Ss. Petri et Pauli fit solummodo ad libitum Missa vespertina more festivo.

29 Ss. Petri et Pauli

Nil mutatur.

30 In Commemoratione S. Pauli

Haec Commemoratio Calendario basilicae romanae S. Pauli relinquitur: etenim ineunte saeculo VIII Romae instituta est, quo facilius Papa celebrare posset S. Petrum in Vaticano die 29 iunii et S. Paulum postridie via Ostiensi, sed ratio huius duplicis sollemnitatis non adest extra Urbem.

IULIUS

1 Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.

Sollemnitas Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., anno 1849 in Calendario romano ascripta ob Urbem a seditione liberatam, expungitur, quia Pretiosissimus Sanguis Christi Redemptoris iam veneratur in sollemnitatibus Passionis, necnon Ss.mae Eucharistiae et Sacratissimi Cordis Iesu atque in festo Exaltationis S. Crucis. Attamen Missa de Pretiosissimo Sanguine D. N. I. C. inter Missas votivas reponitur.

2 In Visitatione B. M. V.

Ss. Processi et Martiniani

Festum Visitationis die 31 maii reponitur, i. e. inter sollemnitates Annuntiationis Domini et Nativitatis S. Ioannis Baptistae, quo aptius consentiat narrationi evangelicae.

Memoria Ss. Processi et Martiniani, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint via Aurelia in coemeterio Damasi, die 2 iulii.

3 S. Irenaei

Memoria S. Irenaei die eius natali, 28 iunii (circa annum 202), reponitur.

5 S. Antonii Mariae Zaccaria

Nil mutatur.

7 Ss. Cyrilli et Methodii

Memoria Ss. Cyrilli et Methodii die S. Cyrilli natali, 14 februarii (869), reponitur.

8 S. Elisabeth

Memoria S. Elisabeth die eius natali, 4 iulii (1336), reponitur.

10 Ss. Septem Fratrum et Ss. Rufinae et Secundae

Memoria Ss. Septem Fratrum, quamvis antiqua, expungitur. Horum enim Passio est omnino fabulosa. Agitur vero de quattuor commemorationibus eadem die occurrentibus: via Salaria: Ss. Felicis et Philippi in coemeterio Priscillae; Ss. Vitalis, Martialis et Alexandri in coemeterio Iordanorum; S. Silani in coemeterio Maximi; via Appia: S. Ianuarii in coemeterio Praetextati.

Memoria Ss. Rufinae et Secundae, saeculo XII in Calendario romano ascripta occasione translationis reliquiarum in Lateranum, Calendariis particularibus relinquitur, quia, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositae sint via Cornelia, miliario IX.

11 S. Pii I

Memoria S. Pii I, saeculo XI in Calendario romano ascripta, expungitur: nullo enim iure martyrum numero S. Pius I est computandus, eiusque natalis dies ignoratur.

12 S. Ioannis Gualberti

Ss. Naboris et Felicis

Memoria S. Ioannis Gualberto († Passignano, prope Florentiam, die 12 iulii 1073), anno 1595 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria Ss. Naboris et Felicis, martyrum mediolanensium, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur.

14 S. Bonaventurae

Memoria S. Bonaventurae die eius natali, 15 iulii (1274), reponitur.

15 S. Henrici

Memoria S. Henrici die eius natali, 13 iulii (1024), reponitur.

16 B. M. V. de Monte Carmelo

Nil mutatur.

17 S. Alexii

Memoria S. Alexii, saeculo XII in Calendario romano ascripta, expungitur, quia Vita S. Alexii est fabulosa.

18 S. Camilli de Lellis

Ss. Symphorosae et septem eius filiorum

Memoria S. Camilli de Lellis die eius natali, 14 iulii (1614), reponitur.

Memoria S. Symphorosae eiusque filiorum, saeculo XII in Calendario romano ascripta, expungitur, quia eorum Acta non sunt fide digna; agitur, ut putant, de quadam imitatione Passionis S. Felicitatis et eius septem filiorum.

19 S. Vincentii a Paulo

Memoria S. Vincentii de Paul die eius natali, 27 septembris (1660), reponitur.

20 S. Hieronymi Aemiliani

S. Margaritae

Memoria S. Hieronymi Emiliani die eius natali, 8 februarii (1537), reponitur.

Memoria S. Margaritae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, deletur, quia Acta S. Margaritae, vel Marinae, omnino sunt fabulosa.

21 S. Laurentii de Brundusio

S. Praxedis

Quoad S. Laurentium de Brundusio nil mutatur.

Memoria S. Praxedis, fundatricis tituli homonymi in Esquilino, Calendario huius basilicae relinquitur: Acta S. Praxedis sunt fabulosa.

22 S. Mariae Magdalenae

Nil mutatur in titulo memoriae huius diei, sed agitur tantummodo de S. Maria Magdalena cui Christus post suam resurrectionem apparuit, non vero de sorore S. Marthae neque de peccatrice cui Dominus remisit peccata (*Lc* 7, 36-50).

23 S. Apollinaris

S. Liborii

Memoria S. Apollinaris Ravennatis, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria S. Liborii, episcopi Cenomanensis (circa saeculum IV), anno 1702 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, eadem ratione.

24 S. Christinae

Memoria S. Christinae, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia nihil scitur de ista virgine et martyre praeter nomen et depositionem Vulsinii.

25 S. Iacobi

S. Christophori

Quoad S. Iacobum nihil mutatur.

Memoria S. Christophori, anno circiter 1550 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: quamvis Acta S. Christophori fabulosa sint, antiqua inveniuntur monumenta eius venerationis; attamen cultus huius Sancti non pertinet ad traditionem romanam.

26 S. Annae

Memoriae S. Annae additur memoria S. Ioachim eius coniugis.

27 S. Pantaleonis

Memoria S. Pantaleonis, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia fere nihil scitur de isto martyre orientali, cuius Acta sunt fabulosa.

28 Ss. Nazarii et Celsi, Victoris I et Innocentii I

Memoria Ss. Nazarii et Celsi, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus mediola-

nensibus nihil scitur praeter reliquiarum inventionem a S. Ambrosio anno 395 factam.

Memoria S. Victoris I, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, expungitur: nullo enim iure S. Victor I martyrum numero est computandus, eiusque natalis dies ignoratur.

Memoria S. Innocentii I, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, deletur, quia non agitur de die depositionis huius sancti, qui obiit die 12 martii 417.

29 S. Marthae

Ss. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis

Quoad S. Martham nihil mutatur.

Memoria S. Felicis, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de isto martyre, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod depositus sit via Portuensi in coemeterio suo, die 29 iulii.

Memoria Ss. Simplicii, Faustini et Beatricis, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint eadem via Portuensi in coemeterio Generosae, die 29 iulii.

30 Ss. Abdon et Sennen

Memoria Ss. Abdon et Sennen, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint via Portuensi, in coemeterio Pontiani, die 30 iulii.

31 S. Ignatii de Loyola

Nil mutatur.

AUGUSTUS

1 Ss. Machabaeorum

Memoria Ss. Machabaeorum, quamvis antiquissima et fere universalis, Calendariis particularibus relinquitur: usque ad annum 1960 fiebat solummodo eorum commemoratio in festo S. Petri ad vincula; nunc vero die 1 augusti fit memoria S. Alfonsi Mariae de' Liguori et, iuxta rubricas, altera memoria servari nequit eadem die.

2 S. Alfonsi Mariae de Ligorio

Memoria S. Alfonsi Mariae de' Liguori die eius natali, 1 augusti (1787), reponitur.

S. Stephani I

Memoria S. Stephani I († anno 257), ut testatur *Depositio episcoporum* (354), papae non tamen martyris, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

4 S. Dominici

Memoria S. Dominici die 7 augusti, postridie eius natale (6 augusti 1221) reponitur; abhinc vero hac die fiet memoria S. Ioannis Baptistae Vianney.

5 In Dedicatione basilicae S. Mariae ad Nives

Mutatur titulus memoriae huius diei, et dicitur: « In Dedicatione basilicae S. Mariae », sine ulla mentione historiae fabulosae fundationis basilicae in monte Esquilino.

6 In Transfiguratione D. N. I. C.

Ss. Xysti II, Felicissimi et Agapiti

Quoad festum Transfigurationis nihil mutatur.

Memoria Ss. Xysti II eiusque sociorum, qui martyres occubuerunt die 6 augusti 258, pridie huius diei anticipatur ob festum Transfigurationis Domini.

7 S. Caietani

S. Donati

Memoria S. Caietani die 8 augusti, postridie eius natale (7 augusti 1547) reponitur; ~~abhinc vero hac die fiet memoria S. Dominici.~~

Memoria S. Donati, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: S. Donati, episcopi Aretini non tamen martyris, ut constat ex Martyrologio hieronymiano, Acta sunt fabulosa.

8 S. Ioannis Mariae Vianney — S. Dominici

Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi

Memoria S. Ioannis Mariae Vianney die eius natali, 4 augusti (1859), reponitur.

Memoria Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint via Ostiensi, miliario VII, die 8 augusti.

9 Vigilia S. Laurentii

S. Romani

Vigilia S. Laurentii deletur.

Memoria S. Romani, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: Acta S. Romani sunt fabulosa, eiusque cultus ignoratur ab antiqua traditione romana.

10 S. Laurentii

Nil mutatur.

11 Ss. Tiburtii et Susannae

Memoria S. Tiburtii, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de illo, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod depositus sit via Labicana in coemeterio *Inter duas lauros*, die 11 augusti.
Memoria S. Susannae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, Calendario eius basilicae titularis relinquitur: Acta fabulosa S. Susannae ad exponendas origines eius tituli composita sunt.

12 S. Clarae

Memoria S. Clarae die eius natali, 11 augusti (1253), reponitur.

13 Ss. Hippolyti et Cassiani

Memoriae S. Hippolyti denuo additur S. Pontiani memoria, secundum antiquam traditionem romanam in Calendario pro Clero almae Urbis anno 1963 feliciter instauratam.

Memoria S. Cassiani, saeculo XIV in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: S. Cassianus martyr occubuit Foro Cornelii, eiusque cultus non pertinet ad traditionem romanam.

14 Vigilia Assumptionis B. M. V.

S. Eusebii

De vigilia Assumptionis B. M. V. fit solummodo ad libitum Missa vespertina more festivo.

Memoria S. Eusebii, quamvis antiqua, Calendario eius basilicae titularis in Esquilino relinquitur. In Martyrologio hieronymiano legitur: « Romae Eusebii tituli sui conditoris ».

15 In Assumptione B. M. V.

Nil mutatur.

16 S. Ioachim

Memoria S. Ioachim die 26 iulii reponitur, qua die annuntiatur: « Ss. Ioachim et Annae, parentum B. M. V. ».

17 S. Hyacinthi

Memoria S. Hyacinthi († Cracoviae die 15 augusti 1257), anno 1625 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

18 S. Agapiti

Memoria S. Agapiti, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur: Acta huius martyris, qui Praeneste passus est, sunt omnino fabulosa.

19 S. Ioannis Eudes

Nil mutatur.

20 S. Bernardi

Nil mutatur.

21 S. Ioannae Franciscae Frémiot de Chantal

Memoria S. Ioannae Franciscae die 12 decembris, pridie eius natale (die 13 decembris 1641) reponitur.

22 Immaculati Cordis B. M. V.

Ss. Timothei et sociorum

Memoria Immaculati Cordis B. M. V. sabbato post sollemnitatem Sacratissimi Cordis Iesu reponitur, fitque hodie memoria B. M. V. Reginae.

Memoria S. Timothei, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de illo, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod depositus sit via Ostiensi, die 22 augusti.

Memoria S. Hippolyti, saeculo XIII in Calendario romano, ascripta, expungitur, quia geminat memoriam eiusdem S. Hippolyti die 13 augusti actam.

Memoria S. Symphoriani, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: cultus S. Symphoriani, qui martyrium subiit Augustoduni, non pertinet ad traditionem romanam.

23 S. Philippi Benitii

Memoria S. Philippi Benizi († Tuderti die 22 augusti 1285) anno 1690 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente» .

24 S. Bartholomaei

Nil mutatur.

25 S. Ludovici

Nil mutatur.

26 S. Zephyrini

Memoria S. Zephyrini, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, deletur: nullo enim iure martyrum numero S. Zephyrinus († anno 217) est computandus, diesque 26 augusti non est eius natale.

27 S. Iosephi Calasanctii

Memoria S. Iosephi Calasanz die eius natali, 25 augusti (1648), reponitur.

28 S. Augustini

S. Hermetis

Quoad S. Augustinum nil mutatur.

Memoria S. Hermetis, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de illo, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod depositus sit via Salaria, in coemeterio Basillae, die 28 augusti.

29 In Decollatione S. Ioannis Baptistae

S. Sabinae

Mutatur titulus memoriae huius diei, et dicitur: « In Passione S. Ioannis Baptistae », ut legitur in Sacramentario Gelasiano.

Memoria S. Sabinae, quamvis antiqua, Calendario eius basilicae titularis in Aventino relinquitur: Acta S. Sabinae sunt fabulosa.

30 S. Rosae Limanae

Ss. Felicis et Adaucti

Memoria S. Rosae de Lima die 23 augusti, pridie eius natale (die 24 augusti 1617), reponitur.

Memoria Ss. Felicis et Adaucti, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de istis martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint via Ostiensi, in coemeterio Commodillae, die 30 augusti.

31 S. Raymundi Nonnati

Memoria S. Raymundi Nonnati († Cardonae, in Hispania, 1240), anno 1669 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

SEPTEMBER

1 S. Aegidii

Ss. duodecim Fratrum

Memoria S. Aegidii, saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: Vita S. Aegidii est fabulosa, cultusque huius sancti, qui vixit in regione Nemausensi, non pertinet ad traditionem romanam.

Memoria Ss. duodecim Fratrum, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, deletur: Acta eorum sunt fabulosa; isti martyres nullo modo fratres sunt secundum carnem et passi sunt in diversis locis Lucaniae.

2 S. Stephani Regis

Memoria S. Stephani Hungariae die 16 augusti, postridie eius natale (15 augusti 1038), reponitur.

3 S. Pii X

Memoria S. Pii X die 21 augusti, postridie eius natale (20 augusti 1914), reponitur.

5 S. Laurentii Iustiniani

Memoria S. Laurentii Giustiniani († Venetiis die 8 ianuarii 1455), anno 1690 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

8 In Nativitate B. M. V.

S. Hadriani

Quoad festum Nativitatis B. M. V. nil mutatur.

Memoria S. Hadriani, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur: agitur de martyre orientali ignoto, cuius cultus in Urbe receptus est ob dedicationem basilicae in eius honorem in Foro romano.

9 S. Gorgonii

Memoria S. Gorgonii, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de illo, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod depositus sit via Labicana, in coemeterio *Inter duas lauros*, die 9 septembris.

10 S. Nicolai de Tolentino

Memoria S. Nicolai († Tolentini, anno 1305), anno 1585 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

11 Ss. Proti et Hyacinthi

Memoria Ss. Proti et Hyacinthi, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de istis martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint via Salaria, in coemeterio Basillae, die 11 septembris.

12 Ss.mi Nominis B. M. V.

Festum Ss.mi Nominis B. M. V., anno 1684 in Calendario romano ascriptum in memoriam Turcorum Vindobonae profligatorum (1683), supprimitur, quia videtur esse aliqua geminatio festi Nativitatis B. M. V.

14 In Exaltatione sanctae Crucis

Nil mutatur.

15 Septem Dolorum B. M. V.

S. Nicomedis

Nil mutatur in festo B. M. V. praeter titulum qui deinceps erit: « B. Mariae Virginis Perdolentis ».

Memoria S. Nicomedis, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de illo, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod depositus sit via Nomentana, in suo coemeterio, die 15 septembris.

16 Ss. Cornelii et Cypriani

Ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani

Quoad Ss. Cornelium et Cyprianum nil mutatur.

Memoria S. Euphemiae, quamvis antiqua et fere universalis, Calendariis particularibus relinquitur, quia Acta celeberrimae virginis et martyris Chalcedonensis omnino sunt fabulosa.

Memoria Ss. Luciae et Geminiani, quamvis antiqua, expungitur, ut geminatio illius quae die 13 decembris, natali S. Luciae, celebratur. Geminianus vero, de quo agitur in Passione S. Luciae, videtur esse persona mere ficticia.

17 Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci

Memoria Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci (anno 1224), anno 1585 in Calendario romano ascripta, anno 1602 suppressa, anno vero 1615 denuo inducta, Calendariis particularibus relinquitur: geminat enim quodam modo memoriam S. Francisci, die 4 octobris celebrandam.

18 S. Iosephi de Cupertino

Memoria S. Iosephi de Cupertino († Auximi, anno 1663), anno 1769 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

19 S. Ianuarii et sociorum

Iuxta Martyrologium hieronymianum et Calendarium carthaginense, fit memoria solummodo S. Ianuarii, sine mentione eius sociorum.

20 Ss. Eustachii et sociorum

Memoria Ss. Eustachii et sociorum, saeculo XII in Calendario romano ascripta, deletur: Passio S. Eustachii est omnino fabulosa.

21 S. Matthaei

Nil mutatur.

22 S. Thomae de Villanova

Memoria S. Thomae de Villanova († Valentiae, in Hispania, die 8 septembris 1555), anno 1659 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Ss. Mauritii et sociorum

Memoria Ss. Mauritii et sociorum, saeculo XI in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia in Passione martyrum Acaunensium non paucae inveniuntur difficultates sub respectu historico, eorumque cultus non pertinet ad traditionem romanam.

23 S. Lini

S. Theclae

Memoria S. Lini, saeculo XI in Calendario romano ascripta, expungitur: ignoratur dies depositionis S. Lini, qui non videtur fuisse martyr.

Memoria S. Theclae, saeculo XI in Calendario romano ascripta, deletur, quia eius cultus non aliud habet fundamentum quam Acta apocrypha Pauli et Theclae.

24 B. M. V. de Mercede

Memoria B. M. V. de Mercede, anno 1696 in Calendario romano ascripta, calendariis particularibus relinquitur, quia agitur de cultu peculiari conexo cum originibus Ordinis fundati a S. Petro de Nolasco ad redemptionem captivorum.

26 Ss. Cypriani et Iustinae

Memoria Ss. Cypriani et Iustinae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, expungitur, quia agitur de personis mere ficticiis.

27 Ss. Cosmae et Damiani

Memoria Ss. Cosmae et Damiani die praecedenti (26 septembris) reponitur, ob natale S. Vincentii de Paul.

28 S. Wenceslai

Nil mutatur.

29 In Dedicatione S. Michaëlis Archangeli

Cultui S. Michaëlis iungitur cultus S. Gabrielis et S. Raphaëlis. Mutatur ergo titulus festi huius diei et dicitur: « Ss. Michaëlis, Gabrielis et Raphaëlis, archangelorum ».

30 S. Hieronymi

Nil mutatur.

OCTOBER

1 **S. Remigii**

Memoria S. Remigii († Rhemis die 13 ianuarii 533), saeculo XIII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

2 **Ss. Angelorum Custodum**

Nil mutatur.

3 **S. Teresiae a Iesu Infante**

Memoria S. Teresiae a Iesu Infante die 1 octobris, postridie eius natale (30 septembris 1897) reponitur.

4 **S. Francisci Assisiensis**

Nil mutatur

5 **Ss. Placidi et sociorum**

Memoria Ss. Placidi et sociorum, anno 1588 in Calendario romano ascripta, expungitur: S. Placidus, S. Benedicti discipulus, nunc ab omnibus distinguitur a S. Placido martyre ignoto in Sicilia, ut testatur recentior recognitio Calendarii monastici (anno 1961).

6 **S. Brunonis**

Nil mutatur.

7 **B. M. V. a Rosario**

S. Marci

Quoad celebrationem B. M. V. a Rosario nil mutatur.

Memoria S. Marci († Romae anno 336), quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

8 **S. Birgittae**

Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii

Memoria S. Birgittae die eius natali, 23 iulii (1373), reponitur.

Memoria S. Sergii, saeculo XII in Calendario romano ascripta, expungitur: cultus huius martyris syri non pertinet ad traditionem romanam.

Memoria S. Marcelli, martyris capuani, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur eadem ratione.

9 S. Ioannis Leonardi

Ss. Dionysii, Rustici et Eleutherii

Nil mutatur.

10 S. Francisci Borgiae

Memoria S. Francisci de Borja († Romae die 30 septembris 1572), anno 1688 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

12 Maternitatis B. M. V.

Maternitas B. M. V. die 1 ianuarii recolitur in Sollemnitate S. Dei Genetricis Mariae.

13 S. Eduardi

Memoria S. Eduardi († Londinii die 5 ianuarii 1066), anno 1679 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

14 S. Callisti I

Nil mutatur.

15 S. Teresiae de Avila

Nil mutatur.

16 S. Hedwigis

Nil mutatur.

17 S. Margaritae Mariae Alacoque

Memoria S. Margaritae Mariae Alacoque die 16 octobris, pridie eius natale (die 17 octobris 1690), reponitur ob diem passionis S. Ignatii Antiocheni.

18 S. Lucae

Nil mutatur.

19 S. Petri de Alcantara

Memoria S. Petri († Alcantarae, in Hispania, die 18 octobris 1562), anno 1670 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

20 S. Ioannis Cantii

Memoria S. Ioannis de Kęty die 23 decembris, pridie eius natale (die 24 decembris 1473), reponitur.

21 S. Hilarionis

Ss. Ursulae et sociarum

Memoria S. Hilarionis († in Cypro anno circiter 371), saeculo XIII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria Ss. Ursulae et sociarum, saeculo XIV in Calendario romano ascripta, expungitur, quia earum Passio est omnino fabulosa: nil vero scitur, ne quidem nomina, de « sanctis virginibus » quae Coloniae tempore incerto interfectae sunt.

23 S. Antonii Mariae Claret

Memoria S. Antonii Mariae Claret die eius natali, 24 octobris (1870), reponitur.

24 S. Raphaëlis

Festum S. Raphaëlis, anno 1921 in Calendario romano ascriptum, coniungitur cum festo Ss. archangelorum Michaëlis et Gabrielis, die 29 septembris celebrando.

25 Ss. Chrysanthi et Dariae

Memoria Ss. Chrysanthi et Dariae, saeculo XI ascripta in Calendario romano, die 25 octobris agenda, Calendariis particularibus relinquitur, quia de istis martyribus, praeter nomina, solummodo cognoscitur quod depositi sint via Salaria. In antiquis documentis eorum memoria variis diebus recolitur.

26 S. Evaristi

Memoria S. Evaristi, saeculo XI in Calendario romano ascripta, deletur: nullo enim iure S. Evaristus martyrum numero est computandus, eiusque natalis dies ignoratur.

28 Ss. Simonis et Iudae

Nil mutatur.

Dominica ultima octobris: **D. N. Iesu Christi Regis**

Sollemnitas « D. N. Iesu Christi universorum Regis » dominica ultima « per annum », i. e. dominica ante Adventum, reponitur.

NOVEMBRIS

1 Omnium Sanctorum

Nil mutatur.

2 Omnium Fidelium Defunctorum

Nil mutatur.

4 S. Caroli Borromaei

Ss. Vitalis et Agricolae

Quoad S. Carolum nil mutatur.

Memoria Ss. Vitalis et Agricolae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia de his martyribus bononiensibus nihil scitur, praeter reliquiarum inventionem a S. Ambrosio anno 393 factam.

8 Ss. Quattuor Coronatorum

Memoria Ss. Quattuor Coronatorum, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur; multae difficultates inveniuntur sub respectu historico de istis martyribus in quorum honorem celeberrima exstat basilica in Coelio.

9 In Dedicatione archibasilicae Ss.mi Salvatoris

S. Theodori

Nil mutatur, nisi titulus memoriae huius diei, qui sic legitur: « In Dedicatione Basilicae Lateranensis ».

Memoria S. Theodori, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur: nil scitur de isto martyre, qui passus est Amaseae in Ponto.

10 S. Andreae Avellini

Memoria S. Andreae Avellini († Neapoli, anno 1608), anno 1725 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Ss. Tryphonis, Respicii et Nymphae

Memoria Ss. Tryphonis, Respicii et Nymphae, saeculo XI in Calendario romano ascripta, expungitur, quia omnia ignorantur de iis martyribus, quorum nullus est romanus.

11 S. Martini Turonensis

S. Mennae

Quoad S. Martinum nil mutatur.

Memoria S. Mennae, illustris martyris alexandrini, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur: a saeculis eius cultus non remansit popularis in Occidente.

12 S. Martini I

Memoria S. Martini I die eius natali, 13 aprilis (656), reponitur.

13 S. Didaci

Memoria S. Didaci († Compluti, in Hispania, die 12 novembris 1463), anno 1588 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

14 S. Iosaphat

Memoria S. Iosaphat die eius natali, 12 novembris (1623), reponitur.

15 S. Alberti Magni

Nil mutatur.

16 S. Gertrudis

Nil mutatur.

17 S. Gregorii Thaumaturgi

Memoria S. Gregorii Thaumaturgi († Neocaesareae, in Ponto, anno circiter 270), anno 1568 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

18 In Dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli

Nil mutatur.

19 S. Elisabeth

S. Pontiani

Memoria S. Elisabeth die eius natali, 17 novembris (1231), reponitur.

Memoria S. Pontiani, saeculo XIII hac die in Calendario romano reposita, die eius translationis Romam, 13 augusti, denuo celebrabitur una cum memoria S. Hippolyti.

20 S. Felicis Valesii

Memoria S. Felicis de Valois, anno 1679 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur: multas enim praebent difficultates sub respectu historico documenta in quibus tractatur de vita S. Felicis de Valois.

21 In Praesentatione B. M. V.

Nil mutatur.

22 S. Caeciliae

Nil mutatur.

23 S. Clementis I

S. Felicitatis

Quoad S. Clementem nil mutatur.

Memoria S. Felicitatis, quamvis antiqua, Calendariis particularibus relinquitur, quia de illa, praeter nomen, solummodo cognoscitur quod deposita sit via Salaria, in coemeterio Maximi, die 23 novembris.

24 S. Ioannis a Cruce

S. Chrysogoni

Memoria S. Ioannis a Cruce die eius natali, 14 decembris (1591), reponitur.

Memoria S. Chrysogoni, quamvis antiqua, Calendario eius basilicae titularis transtiberinae relinquitur. Passio S. Chrysogoni est fabulosa, nulloque iure S. Chrysogonus romanus martyrum numero videtur esse computandus.

25 S. Catharinae

Memoria S. Catharinae, saeculo XIII in Calendario romano ascripta, deletur: non solum Passio S. Catharinae est omnino fabulosa, sed de ipsa persona Catharinae nihil certum affirmari potest.

26 S. Silvestri

S. Petri Alexandrini

Memoria S. Silvestri († apud Fabrianum, anno 1267), anno 1890 in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia non agitur de Sancto « momentum universale revera prae se ferente ».

Memoria S. Petri Alexandrini († die 24 vel 25 novembris 312), saeculo XII in Calendario romano ascripta, Calendariis particularibus relinquitur, quia cultus huius martyris non pertinet ad traditionem romanam.

29 S. Saturnini

